Disputationum Logicarum SECUNDA.

DE TERMINO VOCIS ET PRÆDICAMENTO IN GENERE.

Quam

CHRISTO AUSPICE

In Illustriss. principum Megapolitanorum Academia


SUB PRÆSIDIO

M. ANDREÆ HOJERI
Usdomo-Pom.

tuebitur

PAULUS EGGERS
Rostochiensis.

Ad diem 3. Octobris.



ROSTOCHII
TYPIS JOACHIMI PEDANI
Anno CIↃ IↃ CXII.



Clarißime & Consultißime Vir, J. V. D. Excellentißime,

LEVINE BATTE,


Iudicij Provincialis Illustriss. Megapolitanorum Principp. Advocate & Procurator eximie, Avuncule omni observantiæ genere colende,

Tibi ego,

Offero primitias, quas dudum debeo, nostras
Offerò primitias, merito, cui debeo, jure,
Offero primitias tibi, juris Doctor honori,
Vt mea te tangat mentis reverentia amica.
Ceu suesti, oblatas hilari tu suscipe fronte
Has chartas, donec mea det majora Minerva.

PAVLVS EGGERVS
Rost. Megap.





DOCTISSIMO ET ORNATISSIMO JUVENI,

DN. PAULO EGGERO,

Logicè disputanti, lætioris ominis ergò acclamant amici.

PAVLE, ambis Helenen, proavo non edite rege,
Reginam ingenij PAVle adamas Logicen.
Tune procus tantæ Reginæ cerea collo
Brachia diffundis? nonne repulsa tibi?
Mille petita procis, sponsos non lactat inani
Spe; parili nubit mille procis thalamo.
Neu tuus in vacuos ventos amor evolet, illa
Te bene dignatur mutuo amore tui.
Pòl pete Reginæ primis connubia votis,
Atq; erit in thalamo propria virgo tuo.
Propria ni veniet Nupta: at domina ecce clien-
Te defensabit. Suspice tu dominam. (tem
Ingenij crescet felicis vivida virtus:
Sive maritus eris; sive cliens humilis.

L. Mq; facieb.
M. ANDREAS HOIERUS Pom.

Diversi

Aliud.

DIversi diversa probant, sua quemq; voluntas
    Mirè delectat, mens sua cuiq; placet.
Hunc vacuare juvat prædulci pocula vino
    Plena, illum requies, otia blanda juvant.
Pars sævum intrepidè fidens fert pectus in hostem,
    Fortiter armatâ dum gerit arma manu.
Pars fragilem rapidum navem propellit in æquor,
    Pars captat rigidas horribilesq; feras.
Ast tu Musarum gaudes pervolvere chartas,
    Et Logices nodos soluere PAULE studes.
Ergò age, macte animi, præfixum perfice cursum,
    HOIERO tutum Præside tendis iter.
Perge ita PAULE, tuis semper conatibus adsit
    Rex hominum, coeli conditor atq; Soli.

LEVINUS BATTUS
Rostochiensis.



DISPUTATIO LOGICA II.

DE TERMINO VOCIS ET PRÆDICAMENTO IN GENERE.

Resp. PAVLO EGGERO Rostoch.

THESES.

MEntem humanam divina ars Logica dirigit, mentisq; operationes: apprehensionem rerum simplicium τῶν ἄνευ συμπλοκῆς: conceptum rerum complexarum: deniq; διάνοιαν.

2. *Directio hæc fit mediantibus instrumentis, quæ Notiones secundæ & noëmata noëmatum appellantur.*

3. *Apprehensio quidem simplex regitur simplici notione secunda, seu simplici termino.*

4. *Terminus simplex est, qui unam rem simplicem menti tuæ repræsentat.*

5. *Et hic terminus vel vocis vel est rei.*

6. *Terminus vocis est, qui rei vocabulum definit & explicat, vel κατὰ λέξιν, vel κατ' ἐτυμολογίαν, vel distinguit ἀκυρολογίας, ut ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ rem, quam debet, animo repræsentet.*

7. *Terminus rei est, qui rem ipsam evolvit & enodat.*

8. *Qui vel gradualis, vel extra gradum.*

9. *Gradualis est, in quo gradus rerum supremi, medij & infimi disponuntur.*

10. *Et hic est prædicamentum, qui est terminus rei, in quo res omnes à Deo creatæ per certos ordines, & classes collocantur, non definiendæ, sed per genera & species ordinandæ.*

Problema I.

Utrum vocis aliqua cura incumbat Logicæ?

Tria sunt subordinata; Res, mentis conceptus τῶν πραγμάτων ὁμοιώματα, & vocabula conceptuum σύμβολα & nota. Res ipsas nec omnes, nec semper possumus in medium adferre, oculisque proponere, Aristoteles: ideoque nomina rerum tum loquendo tum scribendo sunt proferenda, ut ex nominibus animus deducatur in notitiam rerum, quarum simulacra concepimus. Iterum rerum populosior est familia, quam verborum, per qua res designamus; ita enim unum sæpè vocabulum plures variasque res denotat, uti una sæpe res multis ampliatur ἰσοδυναμοῦσι vocabulis. Unde turpiter hallucinaretur Logicus, si multas easque varia definitionis & natura res homonymo significatas, uno conceptu juxtà considerares. At vocis curam agit Grammaticus. Rectè: sed non omnem. Grammatica congruam efficit & à solœcismis liberat; combinatque ex litteris & syllabis; Logica intuetur eam quatenus ad mentis conceptus de rebus conceptos σαφῶς καὶ κυρίως & propriè explicandos conducit. Ut non immerito vocabula conferantur vestigijs ferarum, & porrò putaminibus nucum. Qui enim nucleum esse vult, primò frangat putamina oportet: qui feram venatur, vestigia pressissimè sequatur, necessum habet: & qui res indagat: vocabula, tanquam signa sive vestigia sequitur, & veluti veritatis putamina benè frangit & considerat. δύω γὰρ ἄνω εἶδεα τῆς ἀληθείας τά τ' ὀνόματα καὶ τὰ πράγματα dicebat clemens Alexandrinus lib. 6. Stromaton. Aimus, ergò Logici interesse vocabula ambigua distinguere, obscura illustrare, barbara tollere.

Problema II.

Utrum rebus nomina sint naturalia, an vero ex hominum συνθήκῃ imposita?

Hominem articulato sono loqui naturale est, vocesque formare arti-

articulatas, φυσικώτατον: de rebus formare, non minus necessarium. Sed hac vel illa lingua loqui, abit à natura legibus: cum non sit eadem apud omnes gentes, sed pro diversitate gentium diversa. At verò quæ naturalia sunt, apud omnes gentes perpetuo tenore sunt eadem, cum natura natura sit ἀμετάβολος, à qua tanquam è fonte naturalia promanant. Deinde cur Germanus, qui linguæ Græcæ & Latinæ rudis est, non intelligit voces (homo vel ἄνθρωπος) cum tamen rem fortassis habet exploratissimam? Quin & verba valent sicut nummi, qui ex hominum συνθήκῃ ob necessitatem cœperunt cudi: non vero natura valeant, cum diversa sit in diversis terris moneta: imò nova novi precij etiam dum elaboratur. Ultimò sacri codicis autoritas probatum dat, tam primigeniam linguam Hebræam Gen. 2. v. 19. quàm ab hac devias Gen. 11. ex θέσει significare, & placito, illam divino, hanc humano. Quibus additur lib. 1. περὶ ἑρμην. ab Aristotele cap. 2. ratio à naturalibus vocibus petita, quæ cum sint naturales, nihil significant. Tol. in cap. 4. lib. 1. de interp. dicit in vocabulis aliquid esse naturale nempe vocem, quoddam voluntarium, certum nimirum significationem, ordinationem & dispositionem: unde tamquam à formâ vocabula statuit appellanda esse voluntaria non naturalia.

Problema III.

Utrum vocabulum Paronymum & concretum sit idem?

Omne quidem paronymum est concretum, sed non omne concretum vice versa est paronymum. homo vox est concreta: paronymos non est. quod ut rectius intelligatur, distinguendum est inter concreta, quæ subjecti concretionem cum formâ significant, & inter ea quæ concretionem cum inferioribus habent: illa semper sunt paronyma, ut albus fidelis &c. hac nunquam sunt & fiunt paronyma.

Problema IV.

Quid sit notio secunda Logica.

Notionis originatio est à noscendo, quia per notiones, tamquam per instrumenta mens humana in rerum cognitionem penitrat. τοιάυτη γὰρ δύναμις ἐστὶ τούτου τοῦ ὀργάνου, εἴπερ ὀνόματος τετύχηκε, *ut Isocrates dicebat de rerum omnium nominibus in Nicocle. Vim exprimes, si cum visione eas dextrè conferes, quæ sic fit, ut imago rei, quæ ante oculos ponitur, recipiatur in oculum: Si oculi tamen sint hebetes, conspicilijs homo utitur, quibus formatam rei imaginē in oculum tandem recipiat. Simili modo rerum imagines in intellectum sunt recipiendæ, sed cum ejus acies, proh dolor! immaniter sit obtusa, conspicilijs, id est, notionibus secundis utendum est, quibus rerum primæ imagines & conceptus formati repræsententur ipsi intellectui. Imagines igitur rerum sunt, non prout extra animum sunt, sed prout à nobis mente concipiuntur. Unde conceptus conceptuum dicuntur. Ecce tibi modum. Cum consideramus, Petrum, Paulum, Johannem in eo convenire, quod sint homines, conceptum hominis communem mente formamus, qui dicitur conceptus rei atq; adeò primus conceptus. Postea verò dum cogitamus hunc conceptum rei esse commune quiddam, quod de multis solo numero discrepantibus prædicatur, tunc conceptum illum hominis communem, & alium ejusmodi (qui de pluribus solo numero differentibus dici potest) vocamus speciem, (verba sunt Zabarellæ,) per quam speciem communitas illa menti repræsentatur. Videatur Tol. q. 1. in Isag. Porphyrianam. Et sic cum alijs Notionibus.*

Problema V.

Utrum notiones secundæ fiant per Notitiam intellectus comparativam?

Notiones omnes mutuum significant respectum; Generis ad speciem

speciem, speciei ad differentiam, accidentis ad subjectum & vicibus versis. Tol. q. 2. in Isag. Porph. Quod fit propter diversarum rerum inter se comparationem & differentiam earundem, quoad à nobis cognoscuntur. Flacius. Ajenti ergò problematis parti patrocinamur.

Problema VI.

Utrum prædicamentum sit pars Logicæ?

Horrescunt & ἐκστάσει brutescunt Logicorum multi, si affirmatè responderis, ob aliam nescio ullam causam, quam quod partes Logicæ debent esse ejusdem naturæ, & homogeneæ; cum interim prædicamenta non sint notiones secundæ, ut esse debebant, sed res ipsæ. Expendamus rem. Quicquid dirigit mentem humanam in cognitione rerum, est secunda notio Logica, quæ propterea dicitur instrumentum, ut sit menti humanæ id, quod cæmentario amussis est & perpendiculum, ne qua pars muri protuberet, ne qua pars hiet. Annon prædicamentorum instrumento mens humana in rerum cognitione regitur? ne falsum pro vero apprehendas genus, volaticamq; differentiam, prædicamentorum opera & opus est. Quin & prædicamenta nihil sunt aliud, quam multa genera multaq; species, quæ, qui dubitet, nullus est, quin sint secunda noemata & instrumenta Logica. Adde prædicamenti ut & secundarum notionum inventionem esse in intellectu: à quo dependent cogitata secunda. Negando ergò κατηγορίας esse conceptus rerum primos (quos pro ipsis rebus acceptat Zabarella) concluditur prædicamenta Logices esse partem benè vernaculam. Obijcias: in prædicamentorum mappis res ipsas disponi, quæ non sunt Logici juris. Dudum enervata ista est objectio distinctione non invalida, res hic collocari non ut res sunt, sed prout notionibus secundis genere, specie, differentia intelliguntur informatæ. Toletus. Unde non inutilis illa est nata consideratio, in prædicamentis duo esse: materiale & formale: materiale

 sunt

Problema IV.

Quid sit notio secunda Logica.

Notionis originatio est à noscendo, quia per notiones, tamquam per instrumenta mens humana in rerum cognitionem penitrat. ποιάυτη γὰρ δύναμις ἐστὶ τούτου τοῦ ὀργάνου, εἴπερ ὀνόματος τετύχηκε, *ut Isocrates dicebat de rerum omnium nominibus in Nicocle. Vim exprimes, si cum visione eas dextrè conferes, quæ sic fit, ut imago rei, quæ ante oculos ponitur, recipiatur in oculum: Si oculi tamen sint hebetes, conspicilijs homo utitur, quibus formatam rei imaginẽ in oculum tandem recipiat. Simili modo rerum imagines in intellectum sunt recipiendæ, sed cum ejus acies, proh dolor! immaniter sit obtusa, conspicilijs, id est, notionibus secundis utendum est, quibus rerum primæ imagines & conceptus formati repræsententur ipsi intellectui. Imagines igitur rerum sunt, non prout extra animum sunt, sed prout à nobis mente concipiuntur. Unde conceptus conceptuum dicuntur. Ecce tibi modum. Cum consideramus, Petrum, Paulum, Johannem in eo convenire, quod sint homines, conceptum hominis communem mente formamus, qui dicitur conceptus rei atq; adeò primus conceptus. Postea verò dum cogitamus hunc conceptum rei esse commune quiddam, quod de multis solo numero discrepantibus prædicatur, tunc conceptum illum hominis communem, & alium ejusmodi (qui de pluribus solo numero differentibus dici potest) vocamus speciem, (verba sunt Zabarellæ,) per quam speciem communitas illa menti repræsentatur. Videatur Tol. q. 1. in Isag. Porphyrianam. Et sic cum alijs Notionibus.*

Problema V.

Utrum notiones secundæ fiant per Notitiam intellectus comparativam?

Notiones omnes mutuum significant respectum; Generis ad speciem

speciem, speciei ad differentiam, accidentis ad subjectum & vicibus versis. Tol. q. 2. in Isag. Porph. Quod fit propter diversarum rerum inter se comparationem & differentiam earundem, quoad à nobis cognoscuntur. Flacius. Ajenti ergò problematis parti patrocinamur.

Problema VI.

Utrum prædicamentum sit pars Logicæ?

Horrescunt & ἐκστώσι brutescunt Logicorum multi, si affirmatè responderis, ob aliam nescio ullam causam, quam quod partes Logicæ debent esse ejusdem naturæ, & homogeneæ: cum interim prædicamenta non sint notiones secundæ, ut esse debebant, sed res ipsæ. Expendamus rem. Quicquid dirigit mentem humanam in cognitione rerum, est secunda notio Logica, quæ propterea dicitur instrumentum, ut sit menti humanæ id, quod cæmentario amussis est & perpendiculum, ne qua pars muri protuberet, ne qua pars hiet. Annon prædicamentorum instrumento mens humana in rerum cognitione regitur? ne falsum pro vero apprehendas genus, volaticamq; differentiam, prædicamentorum opera & opus est. Quin & prædicamenta nihil sunt aliud, quam multa genera multaq; species, quæ, qui dubitet, nullus est, quin sint secunda noemata & instrumenta Logica. Adde prædicamenti ut & secundarum notionum inventionem esse in intellectu: à quo dependent cogitata secunda. Negando ergò κατηγορίας esse conceptus rerum primos (quos pro ipsis rebus acceptat Zabarella) concluditur prædicamenta Logices esse partem benè vernaculam. Objicias: in prædicamentorum mappis res ipsas disponi, quæ non sunt Logici juris. Dudum enervata ista est objectio distinctione non invalida, res hic collocari non ut res sunt, sed prout notionibus secundis genere, specie, differentia intelliguntur informata. Toletus. Unde non inutilis illa est nata consideratio, in prædicamentis duo esse: materiale & formale: materiale

ſunt res; formale eſt ordinatio & ſeries rerum iſtarum per genera & ſpecies. hoc accuratè attendit curatq́; illud ὥς ἐν τύπῳ καὶ τάχιστα Logicus artifex percurrit, veluti quod aliunde erit diſcendum. Hinc etiam fit manifeſtum, quomodo Logicus proprietates in prædicamentis rebus aſſcribit, nempe ὡς ἐν παιδὶ ut pingui indole diſcat rem à re dignoſcere, ut aurifaber impurum aurum ab excocto, & varia genera auri Rhenani, Ungarici &c. diſcernere diſcit,

Problema VII.

Utrum res, an verba, an conceptus in prædicamentis diſponuntur?

Multi verba, plurimi rerum conceptus, pleriq́; res ſolas in prædicamentis hoſpitari acriter contenderunt. vid. coll. con. q. de Categ. Toletum itidem in lib. Categ. conceptus ſunt ὁμοιώματα rei, quæ rerum fulcro nituntur; verba ſunt ὁμοιωμάτων σύμβολα: quæ & ad res & conceptus referuntur. Cum igitur conceptus ſine rebus, & verba ſine conceptu eſſe nequeant; res in prædicamentis collocari certum: ob has verò conceptus, ob hos vocabula. Præterea res ipſæ natura ſunt ſub & ſuprà, ut loquuntur, ſive ſunt communes & ſpeciales, quibus deinde notionum nomina indantur Gēneris, ſpecici.

Problema VIII.

Quis finis ſit prædicamentorum?

Res ad ſenſum innumerabiles apparent: modò enim intereunt, modò oriuntur. Sed à Deo in menſura, numero & pondere ſunt creatæ. Et ante horribilem Adami lapſum in ordine, numero & pondere potuit eas intelligere homo, nunc impedimentum objectat varius error. Logica ergò errorum expultrix, etiam hunc eijcere volebat, unde prædicamentorum doctrina excogitata, quæ res omnes antè innumerabiles, eoq́; confuſas numerat, diſpeſcit, ordinat

dinat per certas classes & loculamenta. Postea modo quodam; nam prior finis est absolutus & princeps, ostendit, quarum serierum res de se invicem prædicando vel affirmentur, vel negentur: quarum serierum res in syllogismo invicem de se concludantur; quarum serierum res in methodo præcedant, quæ sequantur. profectò non σκοπιμώτατ@ finis est, ut saltem in propositione pervideam, qualis de quali res prædicetur, cum ex priori dependeat. Quamvis ab hoc usu secundario, à scholasticis huic instrumento, inæstimabilis utilitatis instrumento, nomen nimis angustum sit inditum Prædicamenti.

Problema IX.

Vtrum res omnes eodem modo in prædicamentum recipiantur?

Ut res est in natura, ita collocatur in prædicamentis, quæ sunt rerum indices. Si fictitiè dicitur in natura esse, etiam in prædicamento sic esse dicitur, veluti ignis purgatorius, limbus patrum. Si realiter & positivè in naturæ latifundio inveniatur, in seriem prædicamentalem res reponenda est realiter: quæ si fuerit perfecta vel imperfectior, modo eo collocabitur in sua classe. Et hinc est quod non omnes res æq; perfecto modo Logicorum instrumentorum sint capaces, sed hæc perfectius, illa minus perfectè Logicè tractetur: nam ut res in prædicamento collocatur, ita per alia instrumenta tractatur. Alio modo in prædicamento homo collocatur, alio modo anima hominis tanquam ejus pars; ideoq; diversa etiam est tractatio. Sed de his in Gymnasio Logico.

Problema X.

Vtrum Categoriarum numerus præcisè sit decenarius, an amplior, an verò contractior?

Numeri sunt & vecordes, qui denarium numerum ipsa canicie suspiciendum vel multiplicant vel imminuunt, & desulto-

rÿ

rijs cavillis exagitant. Rationes forent ponderandæ, si quæ essent, non verba eorum numeranda, quæ rationum inania. Nitatur ergò potius isthic numerus auctoritate Aristotelis; magis momentis rationum, é quibus hanc breviter apponemus. Quot sunt genera entium, tot sunt prædicamentorum genera; cùm sint rerum receptacula omnium, quæ diversitate differentiarum discriminantur: at decem rerum genera & differentias inductio liquidissimè comprobabit. Quicquid est vel substantia vel accidens est: quod si accidens, in novem iterum abit stirpes. Socrates enim vel quantus vel qualis fuerit, quid egerit, quid passus, ubi vixerit, quando vixerit, quo habitu usus sit, quo situ fuerit & gestu, si scripserit quo modo affectus fuerit, præceptoris ne an discipuli obierit officium, quæri potest. Plura ergò non dantur rerum genera, quia nihil est, quin ad unum horum referatur; nec pauciora, nam daretur res, quæ ad nullum possit redigi. quid tueamur, Vides.

Corollaria.

1. Utrum concreta, sicut & artificiata, juxta subjecti rationem, an juxta formam, à qua denominantur, sint in prædicamento? juxta formam.

2. Utrum sufficiat, paronyma convenire quoad rem, non curato nomine? A.

3. Utrum omnia nomina, quæ Deo cum hominibus sunt communia, habenda sint ambigua? A,

4. Utrum Deus sit sub ordine prædicamentali? N.

5. Utrum Aristoteles sit autor libri Categoriarum? A,

6: Utrum summum genus & prædicamentum sumatur pro eodem? N.


7. Utrum prædicamenta & prædicabilia inter sese differant? A.

DISPUTATIO LOGICA III.

DE GRADIBUS PRAEDICAMENTORUM, VULGO PRÆDICABILIBUS.

Resp. HAQVINO NICOLAI *Smolando.*

THESES.



Idimus præcedenti disputatione doctrinam Prædicamentalem in genere: hac ergò agendum de prædicamentalis seriei gradibus.

2. Gradus prædicamenti sunt tituli & classes, quibus res aliæ alijs aut superiores, aut inferiores intelliguntur.

3. Gradus est vel Directus, vel Collateralis.

4. Directus est vel Inferior vel Superior. Inferior gradus est Individuum, commune sustentaculum generum & specierum.

5. Individuum autem est terminus Logicus, qui repræsentat rem singularem certo loco certoq; tempore definitam.

6. Genus est gradus, cui species subjacent: ideoq; de ijs prædicatur in quid.

7. Estq; vel analogon vel Synonymon. (Alias consultò præterimus divisiones.)

8. Analogum est, quod essentiam cum specie unâ communicat κυρίως, πρώτως & καθ' αὑτὸ: *cum alijs* δευτέρως.

9. Synonymon est, quod naturam suam omnibus speciebus ex æquo largitur, & propriam dicat immediatè & per se.

10. Species est, quæ generi subjacet: & de ea genus prædicatur in quid.

11. Estq; vel analoga sub genere analogo contenta: vel univoca generi univoco seu synonymo substrata.

12 Collateralis gradus est differentia, quæ genus in species dispescit, & prædicatur in quæstione quale sit.

Problema I.

Utrum Prædicabilia Prædicamentis sint præmittenda.

Non de plebe Logicus, sed Crellius Prædicamentis postponit Prædicabilia cap. 2. comm. Log. p. 37. sed ratio ordoquè naturæ aliud suppeditat consilium. Prædicabilia rerum gradus sunt supremi, infimi, medij in Prædicamentis; Quemadmodum in aliqua Scala ejusmodi climacteres sunt commissi transversis trabibus binis. Quomodo autem Prædicamenta singula intellexeris, nisi Graduum cognitio sit anticipata, quibus illa sunt ordinata & constructa? Rursus antequam in prædicamentis dignoscam rerum gradus, prius videndum, quid & quale sit Prædicamentum, gradibus ita concatenatum. Quomodo nosti Scalam, qui ignoras gradus: quomodo intelligis stationes & gradus hujus vel illius Scalæ, nisi præconceperis Scalæ simpliciter cognitionem? Num igitur in dubio vacillabit quæstio? intermedio loco ipsis erit locus. Tradantur ante prædicamentorum singulorum enumerationem: postponantur verò generali προγνώσει serierum Prædicamentalium. Hâc nimirum ratione communiora sunt Prædicamentis, in quibus singula sparsa inveniuntur Quamvis in genere Prædicamentis sunt angustiora, ut quæ ab illis generali ambitu continentur.

Problema II.

Ecquidnecne Accidens & proprium sint Prædicabilia?

Prædicabilis nomen ambiguè sumitur, vel pro termino, qui prædicati loco in propositione poni potest, & sic res manifesta est: vel pro communiori natura, quæ sit instar gradus; in quo significatu quæstio est enodanda. Prædicabilia sunt voces quæ de multis Synonymws dici possunt, Melanchthon. Hunaus lib. 1. Log. p. 17. At sola genera solaq; species Synonymôs prædicari pos-

sunt

sunt; clarissimus Jacobus Mart. lib. 1. Log. c. 1. De Antepraedicamentis. Secus fit de Accidente & proprio. Praeterea κατηγορήματα sunt rerum gradus & stationes, (Crellius) secundum sub & supra. Toletus. Keckermannus. In natura enim palatio rerum aliae alijs sunt superiores, aliae inferiores. Ut in magnifico unius Principis Prytaneo contignationes suprema, media & infima sunt coaptatae congruis commissuris. Quis vero Accidens rei unquam dixerit gradum? At controvenies: quae praedicari apta nata sunt, dicuntur Praedicabilia. non eximio Accidens & proprium è Praedicabilibus. Sed è Synonymis praedicabilibus. Quamvis nec inaudita fama sit, nomen Praedicabilium ab usu, quem in praedicando obtinent, secundario, illis assignatum à Scholasticis, cum potiori jure classes rerum, & tituli contractiores appellanda. Crellius. Nec id praetereundum, quod Praedicabilia mentem humanam juvant in venando genere, quae non leviter turbatur, si cogitavero de Accidentibus, quae speciei propositae videntur inesse, Keckerm: Adde Praedicabilia ostendere, quae res quibus superiores aut inferiores, communiores aut angustiores sint, quae generum, quae specierum vicem gerant. Crellius lib. 1. Pari. comm. c. 3. videmus namq; in omni Praedicamento supremum, infimum & intermedia dari, quae rationem generum & specierum habent. Idem. Sed Accidens Genus non est, species non est, ideoq; nec Praedicabile. Ultimò Melanchthon finis Praedicamenta in quibus Praedicabilia disponuntur per ordinem generum & specierum, non item Accidentis sive communis, sive proprij. Pugnamus pro negante Problematis parte.

Problema III.

Utrum Praedicabilia sint Notiones secundae?

Pendent ab operatione mentis humanae Zab. & nobis non cogitantibus non existunt, 2. nomina sunt alijs nominibus imposita, quippe universalis & communis rei natura per has repraesenta-

tur 3 non signant res pro ut sunt, sed pro ut à nobis concipiuntur. 4. non signant immediatè rem extrà intellectum nostrum constitutam. Sunt ergò notiones secundæ.

Problema IV.

Utrum universalia Prædicabilibus operta sint extra intellectus operationem?

Quæstionis οἰκεῖα sedes est in Metaphysicâ: at hic tamen delibanda, dexterius & intimius cognoscendi prædicabilia. Sciendum autem est hic non quæri de περιττισμῶν & ideis Platonicis, quæ fingebantur ante individuificationem, sic cum Barbaris eruditè loquuntur, existere quo loci nescio. Controvertitur autem hic, utrum Universalia *existentia in singularibus dentur, nemine homine cogitanti. Et dari verum est omnino: quia singularia conveniunt in uno aliquo communi absq; mentis operatione. Mevius, Titius, Sempronius, Callias, Socrates in eo conveniunt, quod sint homines. Duo autem sunt requisita necessaria ad constituendam naturam* Universalem; *Communitas &* Unitas: Unitas *quidem essentiæ: communitas communicationis istius essentiæ. At Callias Socrates &c. Essentia sunt unum quid propter communicatam cum illis essentiam nec me nec te cogitantibus. Sexenta alia argumenta addi possent; nisi id sufficeret unum. Distinguimus tamen inter* Universalia *singularizata, terminus est Scholasticus: & inter ea quæ à singularibus concipiuntur esse abstracta & separata. Toletus q. 4. De* Univers.

Problema V.

Sitne præcipua utilitas Prædicabilium dijudicare de connexione simplicium in Propositione?

Vis vocis id arguere videtur, & multi præterea telis manibusq; pro eo depugnant. Rectius sentit Crellius qui pag 126. usum eorum principem esse ad discernendos gradus rerum unius-

cujusq;

cujusq́; Prædicamenti ait. Idem pag. 115. habet. Postea vero conducere cum alijs non imus inficias ad propositionum dijudicandas connexiones. vide etiam Keckerm. Syst. Log. p. 44. lib. 1.

Problema VI.

Num Genus specie sit prius naturâ?

Prius naturâ id esse dicitur, quod potest esse sine alijs, alia verò non possunt esse sine ipso. Ideoq́; etiam non convertitur ratio subsistendi hoc modo priora sunt universalia minus universalibus. Homo aut brutum sine animali nequit, animal etiam non posito homine esse potest. At verò per generis notionem res latissimè patentes, & universales maximè repræsentantur. quarum naturam notiones imitantur. Toletus Genus duplici modo considerat; priori secundum naturam & substratum; Posteriori modo formaliter secundum naturam & relationem Generis ad speciem: illâ ratione Genus specie prius esse ait. Hâc vero scilicet quo ad relationem, pernegat posteriorem Genere esse speciem.

Problema VII.

Vtrum Genus & Totum æquipolleant?

Genus de quâlibet suâ specie prædicari potest in quid; Totum non aptum natum est prædicari de partibus. Anima Hominis, homo non est, nec brachium dicitur homo. Secundò Genus est gradus Prædicamentalis, qui specierum gradus excedit. Totum verò quis ausit appellitare Gradum? Similitudinem tamen largimur non parvam inter Genus interq́; Totum, inter species & inter partes.

Problema VIII.

Vtrum Genus analogon propriè sit Genus?

Genus quâ Genus 1. à speciebus distinctum esse debet 2. ex

 æquo

æque communicat cum speciebus suam naturam & essentiam. 3. Genus est latius speciebus, nec cum iis reciprocatur. 4. Generis species debent esse ἀντιδιῃρημέναι. Sed affectionibus hisce Genus analogon est spoliatum; veluti liquet ex ipsius doctrina.

Problema IX.

Vtrum Genus perfectum & Synonymon in una specie queat conservari?

Generis perfectio in διαιρέσει specierum consistit, quippe notat comprehensionem plurium formarum, quæ in una specie contrahi nequeunt; confer Zabar. post. Analyt. pag. 721. quin & Genus non inest speciei qua Genus est. Animal non inest homini quatenus est Animal, sed quatenus quoddam animal. Idem lib. 2. de Propos. Necess. c. 9 Quoddam autem Genus, non est Genus simpliciter, communiter & absolutè, sed cum determinatione hujus. Sicuti quoddam animal non est animal commune, sed speciale & limitatum.

Problema X.

Vtrum species infima dicatur species, quia de individuis prædicetur, an quia Generi subijciatur?

Cum speciem infimam nominas dicis eam esse infimum gradum: Inferius autem respectu superioris dicitur. idem constat ex analogiâ, quæ generi intercedit cum toto. respectu generis speciem infimam dici speciem. Pars dicitur quia sub toto comprehenditur. ideoq; & Species quia generis ambitu continetur. Deinde Species dicitur à subjacendo suo superiori & generi; ergo & infima species. 4. Relata & correlata propter mutuum iter & respectus reciprocationem à se mutuam appellationem sortiuntur. Genus autem proximum infimæ speciei, dicitur genus quia species habeat:

Ergo

Ergo è converso species infima dicenda est, quia habeat genus: Ut ita à subjacendo adhuc species dicatur species. nec verò species propterea dicitur, quia de individuis immediatè prædicatur, ut non nulli volunt; aliàs Species subalterna e. g. Animal non esset & diceretur species, cum non immediatè de individuis prædicatur. Atqui à Porphyrio definitur esse species, quæ de pluribus numero differentibus prædicatur in quid. Resp. Definitionem hanc accipiendam pro sola Specialissima Specie. Atqui de hac saltem quæritur. Resp. iterum ad hanc faciem. Species in genere à Porphyrio jam erat finita, quæ generi subjacet, & de qua genus in eo quod quid est. prædicatur. in qua Definitione generali à subjacendo species est finita, ideòq; in Speciali definitione illud rectissimè omissum (quod generi subjaceat) cum id quod erat in genere positum, non sit iterandum in Specie. Si itaq; completum velis definitionem ultimæ speciei, ea erit, quod sit sub genere posita, de qua genus prædicari possit, ipsa verò tantum de individuis prædicetur in eo, quod quid est.

Problema XI.

Vtrum speciei plus insit quàm generi?

Species totum in se continet absorbetq;, genus; at enimverò speciei superadditur essentialis differentia. licet ens incompletum, quæ generis naturam reddit perfectiorem. nisi autem erit πρόσθεσις quædam, quorsum faceret differentia? confer. Zab. 1. post Analyt, Cap. 5. pag. 719.

Problema XIII.

Vtrum species æquipolleant generi?

Respondet Zab lib. 1. Post Analyt. cap. 5. pag. 722. species ratione ambitus, latitudinis, & amplitudinis cum Genere converti, non tamen ratione naturæ & essentiæ, & inde pulchrum con-

fecto-

ſectarium idem Zab. elicit, quod ob eam rationem, accidens à natura Generis emanans non habeat ullum eſſentialem nexum cum natura ſpeciei, nec cum omnium naturis ſimul ſumtis. Idem de Toto & Partibus eſt verum.

Problema XIII.

Vtrum individua ſunt ſpecies ſpecialiſsima?

Sic multi nugantur, inter quos eſt Goclenius part. 2. prob. Log prob. 17. Sed inania ſunt, quibus probant; Audiatur ergò potius veritatis concio & peripateticorum. Species enim individua ſub ſe habent. ſi autem individuorum eſſent individua, quò tandem loci devolveremur? Accedit, à ſpecie addi differentiam ſpecificam generi, quæ ab individuo ſuperaddi nequit. Zab. 1. poſt Analyt. cap 5. pag. 719. Præterea ſpecierum natura eſt communis; Individuorum ratio valdè coarctata. Plures qui volet rationes, videat Hippium prob. 14. Log.

Problema XIV.

Vtrum Differentia ſit gradus?

Sicuti ligna tranſverſa, quibus gradus ſunt infixi, Scalæ non ſunt gradus, ſed aliquid graduum; ita & differentia, quæ committit ſpecies cum generibus, gradus eſſe nequit. quid? gradus ſunt ſub & ſuprà: Differentia tantum ad latus ſuperiorum & inferiorum, ſeu generum & ſpecierum accedit, committens vinculo aliquo genera & ſpecies.

Corollaria.


1. Utrum Mas & fœmina ſint Species animalis? N.
2. Utrum, quidquid generi ineſt, inſit etiam ſpeciei? D.
3. Utrum genus prædicetur de ſpecie quatenus ipſum N. cum Zab.

DISPUTATIO LOGICA IV.

DE SUBSTANTIAE, QUANTITATIS ET QUALITATIS PRÆDICAMENTO.

Resp. ISRAELE PRÆTORIO *Smolando S.*

THESES



Ccedimus nunc ad singula Prædicamenta in specie: quæ sunt vel Accidentalia vel substantiale.

2. *Substantiale Prædicamentum est, in quo Genera & species substantiæ collocantur seriatim.*

3 *Substantia est ens per se subsistens.*

4. *Estq; vel prima vel secunda.*

5. *Prima est (à primitate substando accidentibus prima dicitur) quæ neq; de subjecto dicitur, neq; subjecto inest.*

6. *Secunda est, quæ de primis dicitur licet in nullo subjecto sit, & in quâ est prima.*

7. *Accidentale est prædicamentum in quo genera & species accidentium disponuntur.*

8 *Accidens est quod substantiæ inhæret, & extra eam esse nequit.*

9. *Estq; vel primarium vel secundarium.*

10. *Primarium est vel absolutum vel Relatum.*

11. *Absolutum est in quo accidens absolutum per seriem generum & specierum ordinatur.*

12. *Estq; tum quantitas tum qualitas.*

13. *Quantitas est à qua aliquid dicitur quantũ vel quotum.*

14. *Hæc est vel continua vel Discreta.*

15. *Continua est quæ habet partes positionem habentes & communi termino copulatas. i. e. termino qui præcedentis partis est finis & sequentis initium.*

D *Discre-*

16. *Discreta est, quæ habet partes discretas seu disjunctas; non commissas communi termino.*

17 *Qualitas est à qua aliquid dicitur quale.*

18. *Ejus species sunt 4. potentia naturalis, habitus, patibilis qualitas, & figura.*

Problema I.

Quodnam prædicamentorum primum loco esse debeat?

Primum sedile substantiæ debetur, quia natura prior est omnibus alijs accidentibus. Arist. Lib. 7 Metaph. cap. 1. quæ ceu fulcrum & fundamentum est reliquarum categoriarum omnium, cum accidens sine subjecto, cui inest, ne ad momentum quidem consistere possit. Arist. lib. catg. cap. 5. Flacius lib. 3. cap. 3 4. 5. & 6. Neq; ab alijs dependet, sed alia ab illa, ideoq; species entis nobilior dicitur. Crell. lib. 1 cap. 5. Quippe in substantiâ tanquam in subjecto alia omnia insunt. Accipitur autem vox substantiæ non pro omni rei alicujus essentiâ. neq; etiã pro re pecuniaria: Sed pro eo quod accidenti contra ponitur & distinguitur.

Problema II.

Quomodo dividatur substantia in primam & secundam?

Divisio illa philosophi cap. 5. Categ. ex prædicandi modo desumpta est: optimè enim notat Albertus substantiam quoq; aliquam primam dici primitate causandi; sic Deus πρώτη οὐσία est: aliquam demùm primitate prædicandi quæ hoc loco intelligenda. Divisio autem qualis est? non est generis in species, nec enumeratorum ordo ut Ammonius, nec accidentis in accidentia ut Lovanienses; nec subjecti in accidentia ut Burlæus voluerit: Sed Analogi in sua analogata Albert. tract 1. cap. 3 & 6. Toletus cap 5. categ. quæst. 1. Analogum enim est, quod per prius uni quàm alteri inest.

Pro-

Problema III.

An sex sint proprietates substantiarum à philosopho enumeratæ?

Nonnullæ solis primis conveniunt proprietates, nonnullæ & primis & secundis simul substantijs, nonnullæ deniq; etiam alijs categorijs.

1. Nullæ substantiæ sunt in subjecto.

2. Substantiæ univocè h. e. secundum nomen & definitionem prædicantur. Quæ proprietas non primis sed secundis substantijs competit. Hæc proprietas satius est communitas, cum & alijs categorijs eodem jure adtribuatur.

3. Substantia significat τόδε τι h. e. unam rem certam definitam per se subsistentem, quæ ceu digito demonstrari possit. Hanc intellige de primis substantijs.

4. Inest substantijs, quod nihil illis sit contrarium immediatè, intellige veram contrarietatem Contraria enim mutuò se eijciunt è subjectis: substantiæ subjectis non insunt, sed ipsæ sunt subjecta.

5. Substantia non recipit magis & minus, vel unaquaq; substantia secundum esse suum substantiale nec intenditur nec remittitur. Intensio vel remissio fit ratione ὑπάρξεως seu singularis inhærentiæ, in hoc vel illo subjecto, hoc vel illo modo disposito. Keck. lib. 1. Log. cap. 9. de Qual. Flacius. lib. 2. gener. log. cap. 13. acutissimus item Scaliger. substantiæ verò in alio subjecto ὕπαρξιν non habent, nedum hoc vel illo modo disposito.

6. Substantia una & eadem numero permanens, susceptiva est contrariorum, quæ cum ejus natura & essentia non pugnant, unde ignis frigiditatem non recipit tanquam vehementissimum hostem. Hæc autem nota, non est contraria quartæ, ubi dicitur substantiæ nihil esse contrarium: illud materialiter & subjectivè hoc verò de actu substandi contrarijs qualitatibus & successivè intelligendum est.

Problema IV.

Quare immediatè ſubſtantiam ſequatur Quantitas?

Archytas Tarentinus referente Simplicio, Qualitatem priori Quantitate loco ponebat, ductus hac ratione, formam eſſe præſtantiorem materiâ. Sed philoſophorum princeps Ariſtoteles animatus fuit, non à naturæ ordine digredi, quo materia, tanquam ſubjectum prior eſt quàm forma, quæ in materia inhæret. Undè *rectè Avicenna, Nullum accidens immediatiùs quam quantitatẽ ſubſtantiæ ineſſe dicebat. Alij afferunt rationes, quod ſubſtantia in pluribus conveniat cum quantitate, quàm cum qualitate & cæteris prædicamentis: Sicut ſubſtantia nec intenditur nec remittitur, ita nec quantitas: Et ſicut ſubſtantia nullam habuit contrarietatem ἁπλῶς: Ita nec quantitas quæ tantum in ſubſtantijs corporeis invenitur, neq; poſſibile eſt quantitatem à ſubſtantiâ ſalvâ manente eadem diſtrahi.*

Problema V.

An Quantitas ſit Genus ad continuum & Diſcretum?

Uberrima diſſidentium opinionum hîc ſeges eſt, de quibus videri poteſt Toletus, Jacobus Martini & alij non minoris nominis philoſophi. Suarez autem rem acu videtur tangere, qui ait quantitatem genus eſſe ſi Numerus, qui ſpecies Entis non eſt, cum ab intellectu dependeat, concipitur per modum unius. Confer etiam Tolet. cap. 5. categ. q. 1. Quantitas enim eſt qua ſubſtantiam menſuramus: menſura competit unitati. Ariſt. lib. 10. Met. cap. 2. Deinde quantitates continua & Diſcreta dividi poſſunt in ea quæ inſunt, quia diviſibilitas quantitatis eſſentiam conſtituit, numerus in unitates; magnitudo dirimitur in partes & membra. Coll. Conimb. in Categ.

Proble-

Problema VI.

An Quantitatis proprietates tres ſint?

1. *Quantitati Determinatæ nihil eſt ἁπλῶς contrarium.*

2. *Quantitas non videtur recipere magis & minus: Sed majus & minus. Sic Linea una non eſt magis Linea aut quanta altera; quia oritur ex materia, quæ abſq; forma actuatione mortua eſt, ita ut nullam edat actionem, quæ contrariari aliis poſſit.*

3. *Quantitati maximè propriũ eſt æquale & inæquale dici.*

Problema VII.

Utrum Relatis Qualitas præmittenda?

Quamvis philoſophus Relationem Qualitati præpoſuerit, nos tamen philoſopho nullam hac in parte dicam ſcribimus: quandoquidem natura monet abſoluta, quæ ſine σχέσει πρός ἄλλο intelliguntur, priori ſede collocari. Fonſeca Lib. 5. Metaph. cap. 14. Zabarella. de Method. cap. 17. Reg. lib. 1. diſp. Logi proble. 5.

Problema VIII.

Vtrum ſpecies qualitatis numerentur tantum quatuor?

Quamlibet ratio ex diviſione ſit valdè languida: tamen ſufficientia probatur inductione, quæ ratio probandi univerſalia nec non ſuprema egregiè frequens & nobilis apud philoſophos habetur. Simplicius tali procedit via: Qualitates ſe habent duplici modo: vel enim ſunt adventitiæ & acquiſitæ: vel naturales & ingenitæ: Rurſus hæ ſunt notantes actum vel notantes potentiam. Si potentiam notant, prior ſpecies progignitur δύναμις φυσικὴ & ſub ea contenta ἀδυναμία. Si actum dicant, vel etiam in profundo ſubjecti & ſic πάθος oritur: vel in ſuperficie exteriori, & conſtituitur figura. Si verò acquiſita eſt & parta

nostris vel aliorum curis, comparatur habitus. Plures his qualitates dari nequeunt: Ergò tantum quatuor species enumerandæ. Tolet q.1. cap. 8. categ. aliter & eruditiùs conatur ostendere à modo & determinatione ejus, quod indifferens est. In rebus inquit duo sunt consideranda, esse rei & operatio rei: in corporibus tertium consideretur; Quantitas videlicet; sed esse rei modificatur solitariè, ut vel benè vel malè se habeat. En habitum. Vel modificatur operatio indifferens, ut possit vel non possit, inde δύναμις καὶ ἀδυναμία φυσικὴ. Tertiò modificatur operatio, quod vel aliundè proficiscatur vel aliorsum tendat. Oriuntur passiones, quæ vel sensum afficiunt, vel ex passione nascuntur. Deniq; quantitas, ne in infinitum excurrat erretq; modo afficitur, qui figuræ genitor est, videatur d. l. ipse Toletus.

Problema IX.
Qualitatum proprietates tres sunt.

Prima, qualitatibus inest contrarietas solis non omnibus; à figurâ exulat. Secunda. Qualitas intenditur & remittitur, at non ratione essentiæ, sed ratione subjecti habilis & idonei. Tertia. A qualitate simile & dissimile dicitur, sicuti enim ex quantitate discretâ paritas & imparitas: Ex continua æqualitas & inæqualitas: ita ex qualitate species similitudinis oriri necesse est. Coll. Cornimb. in lib. Categ. Arist. cap. 8.

Problema X.
Vnde oriatur intensio & remissio?

Duplici ratione recipitur gradus seu magis & minus. uno per additionem graduum formalium; uno per fortiorem in subjecto radicationem. Additio formalis gradus est, quando subjectum hoc vel illo modo dispositum totam formam capiendam non capit simul & semel, sed successiva introductione

ne, ut fervor in aquam introducitur per additionem sc. priori debilitati, fervoris major additur virtus; & huic major, donec perveniatur ad summum. Intensio per radicationem est quando magis vel minus frequens exercitatio subjectum magis vel minus reddit expeditum ad edendas operationes: quia initio minus firmiter qualitas, quæ in habitum cedere debebat subjecto inhærebat. Undè autem ejusmodi contensiones oriantur, magis utile quàm obvium est eventilare. Non existimes essentias qualitatum multimodè variari: calor enim in essentia non recipit vel magis vel minus sed ratione existentiæ & singularis ὑπάρξεως in hoc vel illo subjecto sic vel aliter modificato. Primò autem contrariorum permistio requiritur sed diversa proportione, ut cum una hemina nivis sive aquæ gelidissimæ misceatur duabus heminis aquæ vehementissimè calidæ & urentis, minor est frigiditas: si verò eidem aquæ calidæ affuderis duas heminas intensissimè frigidæ, cum additamento: frigidior quàm calidior erit. Datâ contrariorum permistione, mox subjectum oportet accedat, quod participet definitione illius qualitatis: Deinde quod modò magis participet, modò minus pro sua dispositione. De concretis non dubium est, quin fiat intensio ratione subjecti: sed cum eadem viâ abstracta variantur, neq; de his dubitatio reliqua futura est verum enimverò quæstio est fori metaphysici, in quo accuratius etiam discutiatur.

Corollaria.

1. Utrum substantia potius à substando scilicet accidentibus dicatur, quam a subsistendo per se?

2. Utrum aliud sit accidentium esse propter quod tale habeant esse, ut eorum esse sit in esse? N. contra Taurellum.

3. An species panis & vini, quæ sunt accidentia, possint esse substantiâ peremptâ? N.

Utrum

4. Utrum tempus sit species quantitatis? N.

5. Utrum oratio sit quantitas? N,

6. An magnum & parvum sint contraria? N.

7. An magnum & parvum sint quantitates? N.

8. An dispositio & habitus sint distinctæ species? N.

9. An passio & patibilis qualitas differant? A. Ut perfectius & imperfectius.

10. Utrum jure Aristoteles quantitatis doctrinam à Divisione in conjunctam & Disjunctam sit exorsus? A.

11. Utrum quantitas etiam sit receptiva contrariorum aliquo modo, ut innuit Toletus de quantitate panis eucharistici? N.

12. Utrum angeli sint quanti, qui sunt ἄυλοι? N.

13. Utrum Deus sit magnus sine quantitate? imo maximus.

14. Utrum corpus Christi sit quantum? D.

15. Utrum quoddam ἄποιον sit ποιὸν? A.

16. Quare quantitatum nulla sit virtus nulla efficacia, an quia ex principio passivo, materiâ puta oritur, an ob aliam causam?

17. Utrum quantum sit actu infinitum? N.

18. Utrum omnis arithmeticus sit dives in numero, ut vulgatum est πολυθρύλλητον? N.


19. Utrum rarum, densum, asperum leve, quæ significant positionem partium inter se, sint qualitates? N.

20. Utrum Deus dicatur qualis? N.

21. Utrum angeli dicantur quales. A.

22. Utrum materia prima, quæ ἄποιος traducitur, sit qualis? D.

23. An tantum duæ sint species qualitatis nempe patibilis qualitas & figura juxta Piccolominei gradû 2. Moral. c. 8. N



DISPUTATIO LOGICA V.

DE PRAEDICAMENTO RELATIONIS, ACTIONIS, PASSIONIS, adeoq; de reliquis quatuor, Quando, Ubi, Situs, Habitus.

Resp: IOHANNE ZEIDLERO *Lub. Saxone.*

THESIS I

EXpedivimus hucusq; prædicamentum primarium absolutum accidentium, quantitatem puta & qualitatem: ruimus nunc ultrò ad respectivum primarium: postea accessuri ad secundaria Prædicamenta.

2. *Respectivum est Relationis prædicamentum, in quo genera & species relationum disponuntur.*

3. *Relatio est accidens, cujus esse nihil aliud est, quàm ad alia referri.*

4. *In relatione tum termini observentur usitati, tum proprietates.*

5. *Termini usitati sunt, ad relationem requiri duo Subjecta, duo Fundamenta, duos terminos, à quo, ad quem terminos, deniq; rationem fundandi, quæ tamen in omnibus locum non habet. De horum vocabulorum definitionibus & exemplis vide prælectiones, ne hûc necessum sit adducere ea propter brevitatem, cujus sumus studiosi.*

6. *Proprietates sunt quatuor: 1. relationibus inest contrarietas. 2. relatio recipit magis & minus. 3. Relativa mutuò dicuntur: sive relatum dicitur correlati relatum: & correlatum relati correlatum. 4. Sunt ἅμα τῇ φύσει, quæ enim natura sunt simul, alterum absq; altero esse nequit, ut nec relationes.*

7. *Relata sunt vel mutua vel non mutua. illa sunt quando*

relatum & correlatum habeat respectum realem ad invicem ut pater, filius. Non mutua sunt quando ab una parte respectus est rationis, ut scientia & scibile. Scibile enim non habet realem respectum ad scientiam, quamvis hæc ad illud. quadratura circuli scibilis est, nec tamen refertur actu ad scientiam Zab. tabb. Logg.

8. *Huc adde æquiparantiæ & disquiparantiæ relativæ. vide prælect.*

9. *Succedunt secundaria prædicamenta seu orta vel ex qualitate ut actio & passio, vel ex substantia & quantitate ut quando & ubi, vel substantia & relatione.*

10. *Actio est qualitatis in substantia agitatio & motus secundum quem in id, quod subjicitur, substantia dicitur operari.*

11. *Estq; vel immanens vel transiens.*

12. *Passio est actionis receptio. ea verò qualitas, quæ in patiente recipitur, dicitur Terminus, qui etiam datur in immanente actione.*

13. *Quando est, quod ab adjacentia temporis determinati & sic se habentis relinquitur.*

14. *Ubi est quod ex circumscriptione loci locat iq; relinquitur.*

15. *Positio seu situs est certa partium corporearum tum ad se invicem, tum ad totum collocatio.*

16. *Habitus est adjacentia earum rerum; qui circa corpus hærent. Hic prædicamentis terminalia sunto.*

Problema I.

Quare Aristoteles finiens relationem usus sit plurali numero τὰ πρός τι?

Omnis relatio versatur reciprocaturq; ad minimum inter duo subjecta, duasq; substantias. Natura ergò relationis sine multitudine esse non potest. Quare numero multitudinis uti voluit Philosophus, ut statim insinuaret relationis naturam.

Proble-

Problema II.

Vtrum commodior titulus fuisset factus in abstracto (de relatione?)

Si relationem dixeris, non per accidens denotabis ens, sicuti cum relatum dicis sive ad aliquid sed ens significabis per se. Inprimis etiam tollit difficultatem quæstionis, utrum correlatum constituat novam classem, à relativorum numero diversam cum relatum ut summum genus, opponitur correlato ut aliј summo generi? Relatio subincludit utrumq; & relatum & correlatum, quibus ratio & convenientia communis dicitur relatio. Significantius ergò & φιλοσοφικωτέρως in abstracto formabitur Titulus & ἐπιγραφὴ hujus Prædicamenti.

Problema III.

Vtrum relatio per se sit contraria?

Contrarias duas esse fundamentaliter qualitates, ajunt illi qui Aristotelicè philosophantur. Iterum tamen relata contrariari relatis iidem profitentur; ut ita eorum mens videatur fluctuare. At vero fixa tenaxq; subsistit eorum sententia. Antequam ad problematis statum deveniamus, monere illud laboris precium est, contrarietatem pronunciatam de relatis accipiendam πρώτως de relatione. Notabis etiam non indiligenter relationem non esse contrariam correlativo, ut virtus habenti virtutem, scientia habenti scientiam: Sed alicui aliј rei: virtus vitio, scientia ignorationi. Relativa igitur contraria sunt, sed non ad invicem relativa i e. relativa & correlativa. Sed verò contraria sunt ad aliud, quod quidem & ipsum sit relatum, sed alterius rei relatum. Nunc huc sis attende. Relationes ut in basi fundantur in absolutis accidentibus, à quibus procedunt: in quantitate, inquio, qualitate, actione, passione, fundantur propter imperfectionem & imbecillitatem, quæ multò major inest relationibus, quam aliјs acci-

 dentibus

dentibus. Inficias non ibis, inter hac absoluta accidentia, quædam sic esse natura lege affecta, quibus insit contrarietatis pugna, secundum quam modo hoc eijcitur, ut illud excipiatur, modo illud extruditur, ut istboc hospitetur. Hac pugnâ non omnia digladiantur; digladiantur at omnia qualia accidentia sive qualitates. collige igitur illas relationes esse contrarias, qua in accidentibus potestatem contrariandi habentibus radicantur, & fundantur, puta in qualitatibus. Duplici enim ratione se relationes habent, vel ut puri puti respectus, ut ita in sese considerentur; quomodo abest contrarietas, vel ut fundata in accidente, cui copulantur, accidente dico quali, & ita inest contrarietas.

Problema IV.

Vtrum relationes gradus τὸ magis minusve ratione propriæ naturæ suscipiant, an fundamenti ratione?

Quod contenditur vel remittitur, cum contrario suo miscetur: album quo magis cum nigro est mistum, minus est album: quo minus cum nigro, eò magis album est. Contraria ergò contrariorumq. mistio, quamvis diversa proportione intensionis dimissionisq. causa est. Contraria meministi, arcuimus à relatorum hospitio præcedenti problematis examinatione, quatenus relativa considerantur ut meri respectus sub ratione propria natura. Quis ergò existimabit ratione propria natura relationes augeri, minuivè, non potius verò ratione fundamenti? fundamenti ratione, iteratò dico, si è qualitatum censu fuerit. Quicquid Toletus, non vecors alioquin author, in contrarium adferat; cogitur tamen fateri, & ultrò fatetur, semper ad rationem fundamenti esse recurrendum: quod & nos fatemur esse causam graduum. Quod si secundum propria natura rationem suscipiunt magis & minus, cur ergò non omnes relationes graduum sunt capaces? Si igitur ab adversarijs quæres, quæ relationes sint contraria?

Respon

Respondent, quæ ex variabili fundamento procedunt, ita ut semper oculum referant ad fundamenti rationem.

Problema V.

Vtrum relativorum proprium sit ἀντιςρέφεσθαι?

Ἀντιςροφὴ *& convertentia non solis relativis inesse videtur: cum & proprium, quod proprium quarti modi appellant, cum suo subjecto retrò commeat. Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo. Qua fronte ergò Philosophus relativis hoc proprium dicat? Nisi cavillari velis, intelligis convertentiam seu* ἀντιςροφὴν *relativorum fieri in casibus obliquis. Secundò inter terminos æquales fieri ratione materiæ necessariæ. nec fieri ratione terminorum essentialium internorum: cum semper relatum referatur ad correlatum, quod extrà est. ita autem convertuntur relatum & correlatum, ut unum per habitudinem ad alterum exprimatur, & utraq; ad invicem conferantur: sed operam dabis, ut recta fiat & legitima assignatio, i. e. ut unum alterius sit proprium correlativum: nam aliàs converti non possunt. Assignatio hæc proprij correlativi fit, si in una re multæ aliæ conjunguntur, à quibus ipsum correlativum potest denominari: Dubius ergò quodnam sit correlatum adæquatum, semovenda, secernendaq; sunt omnia accidentia, donec illud supersit, quod adhuc est ad aliquid, & quo sublato, relatum non amplius refertur.*

Problema VI.

Vtrum relatio sit ens reale?

Multæ logicorum scholæ pernegant aliquod ens reale esse relationem. Sed immaniter illos decipi testantur exempla vel pueris obvia: ex illis unum egregium est, ut ut valde tritum. Pater & filius non tantum citra, sed & ante intellectus operationem audit ille pater, hic verò filius. Hic tamen concessum volumus, entitatis rationem relationibus non inesse per se, sed mediantibus

 diantibus

diantibus fundamentis. Pater non foret pater, nisi vis generandi ipsi inesset, nec filius esset filius, nisi generandi passiva potentia in ipsum caderet. Hinc adeò debilis entitatis relativa esse conceduntur, sed nullius entitatis esse negantur. Nec insusurrabis: similitudinem, æqualitatem, & si quæ sint id genus, citra mentis opus & comparationem non esse. Sunt res similes, æqualesq; sunt, nec me, nec te cogitantibus: do tibi Johannem, aliquemq; Paulum, utrumq; tres ulnas longum. Finge tu Paulum Johanne inferiorem esse uno palmo, nec plane aliud existima. Inde mensurâ explora utriusq; staturam, & cum rubore intelliges, tuas cogitationes, & fortissimas imaginationes, nec detraxisse, nec addidisse longitudini quicquam. Paulus ergò Johanni est æqualis, & hic illi citra opus rationis.

Problema VII.

Vtrum Actio & Passio diversa constituant Prædicamenta?

Realiter diversa entia diversas entium sedes & classes ordinant. Actio & Passio uni includuntur motui: agens enim qua agens, non potest non simul pati dum agit. Stiriam accipe, eamq; manu calidiori amplectere: continuò stiriâ caliditate tua manus solvi incipiet: Sed eadem manus, qua agit in glaciem mediante calore, eodem actu passionem sibi illatam sentiet, nempe frigefactionem. Quamvis si totam spectes actionem, manus potius dicenda est agere cum adversus glaciem victoriâ triumphet, quam glacies, ut quæ prorsus dissolvitur. Ut ita patiens agere patiendo, & agens repati agendo videri posset. Sed retributa hæc commutatio tenet nihilominus bene longum, latumq; discrimen, ut actio non sit passio, nec hæc sit illa. Distingue igitur inter materiale & formale cum actionis, tum passionis. Materiale utriusq; est motus quidam absolutè ita spectatus. Formale actionis est hujus motus relatio ac delatio ad causam agentem eamq; denominat, ut ut ipsi non semper inhæreat subjectivè. Passionis

ßonis verò formale est receptio motus seu forma ab actione profecta.. Hinc jam responde diversa omninò esse prædicamenta, Actionis & Passionis; cum diversa sint formalia, à quibus potissimum diversitas entium dependet. Nec enim actio quâ actio est Passio, nec passio, in quantum passio, fit actio, sed longè diverso modo. Unde Zabarella lib. de React. c. 1. inquit, patiens aliquo modo agens, & agens aliquo modo patiens videri posse. Huc adjice quod Zabarella habet in tab. Log. aliud esse ab alio originem habere, aliud ab aliquo pendere ut à genere. Passionis ergo causa, (sic loqitur Porretanus de sex principijs) etsi actio est: tamen genus propterea non est passionis, quod foret necessum si idem esset prædicamentum..

Problema VIII.

Vtrum actio sit in agente an vero insit patienti?

Sic fit ut è metaphisices penu non pauca huc evocentur illustres quæstiones: huc inquam in Logicam diatriben. Quamvis tamen non sine delectu. Et hanc metaphysicæ propriam largimur, quàm hic proposuimus occasione præcedentis problematis, ex cujus intelligentia & cognitione totum negocium expedire haud difficulter possumus. Meministi, scio, aliud esse formale aliud item esse materiale actionis: quorum hoc est motus: alterum est motus relatio ad agens. Juxta hoc materiale actionis, actio in agente non est; cum motus sit in mobili: at benè juxta formale agenti inesse probatur à multis philosophis, inter quos inprimis Scotus videri potest. Quamvis contendat absolutè actionem agenti inesse; veluti simpliciter negabat Thomas, ullam actionem agenti inhærere.

Problema IX.

Unde oriantur Quando, Vbi, Situs, Habitus?

Non ab accidentibus, quæ sunt accidentia, nec à substantijs. Totius

Fetus c. 10. categ. Sed à modo seu circumstantia existendi ex Fonsecâ Keckermannus genium ille εὐμεθοδίας & in omnis generis scriptis non diu, sed multùm volutatus. Accidentia enim aliorum prædicamentorum substantijs superaddentia certum modum, qui in alijs prædicamentis nondum fuerat, ex se progenerant hæc prædicamenta, quæ ab alijs οὐ πάντῃ διεστηκότα. Hinc emergit aliud, nempe concreta præcipuè huc referri, quamvis non talia sint concreta, in quibus apertè internoscere liceat duas res distinctas, quas in aliorum concretorum speciebus dijudicare est perfacile vid. Tol. d. l. ubi exempla rem declarantia extant.

Corollaria.

1. Utrum relationes rationis ad seriem τῶν πρός τι referendæ? N in prædicamentis enim res ipsæ non ab intellectus operatione pendentes ponuntur.

2. Utrum relationes, quæ Deo cum creaturis intercedunt sint reales? N. In Deo enim nullum est accidens, ne dum accidentatum accidens i. e. accidens relativum, quod alio accidente instar fundamenti nititur.

3. Utrum sacramenta per se sint relationes? N.

4. An nostrum illud: Der Sohn ist so alt als sein Vater/ vnd der Vater so alt als sein Sohn/ (Filius & Pater sunt ætate æquales) sit verum? A. attendere enim oportet ad formalem rationem, non ad subjectum & fundamentum per quod pater filio est prior, & grandior annis.

5. Utrum Angeli sint in aliquo ποῦ (ubi) proprie accepto? N. Denotatur enim per illud ποῦ & locus & locatum.

6. Utrum Deus sit in ubi? ubiq; & nuspiam Deum esse asseveramus: in ubi aliquo esse negamus.

7. Utrum in quando sit Deus? res temporales sunt in quando propter fluxum esse, & fluxum operationum. Veluti enim illorum esse simul non totum est, ita Dei esse simul est totum, quod ideoq; per prius & posterius mensurari nequit.

DISPUTATIO LOGICA VI.

DE CAUSIS IN GENERE ET IN SPECIE.

Proponente HENNINGO FRICKIO *Hamburg.*

THESES

SUperato Prædicamentorum campo, recipimus nos ad forum causarum, in quo plus litium gliscit, quàm in universæ Logices amphitheatro spaciosissimo.

2. Litium partim ad Metaphysicum tribunal, partim ad Logicum adigimus.

3. Nobis curatio est hoc loco causarum contemplatio, quatenus faciunt ad operationum Logicarum exercitia.

4. Causa est à qua causatum dependet.

5. Hanc causam tribuimus in Efficientem, Finem, Materiam, Formam.

6. Efficiens est unde effectus dependet.

7. Estq; vel per se vel per accidens.

8. Illa vel principalis vel minus principalis.

9. Minus principalis est vel impulsiva vel organica.

10. Impulsiva allicit agentem causam ad operandum; idq; vel προηγουμένῃ vel προκαταρκτικῇ impulsione.

11. Instrumentaria causa sive instrumentum est quod cum propter aliud, tamquam finem est, ipsius tota natura in eo consistit, ut utilitatem afferat principali agenti.

12. Principalis causa est cujus virtute effectus editur. Estq; vel voluntaria vel Naturalis.

13. Naturalis agit ex necessitate & naturæ propensione, nec suspendit actionem objecto oblato.

14. *Voluntaria agit liberè certoq; consilio, potestq; ex arbitrio suspendere actionem etiam datâ agendi occasione.*

15. *Per accidens est vel casus in naturalibus, vel fortuna in voluntarijs.*

16. *Reliquas easq; varias, subdistinctiones earumq; definitiones ex hoc curriculo protelamus. Contentius enim de ijs egimus & diligentius in prælectionibus.*

17. *Finis est cujus gratiâ aliquid fit.*

18. *Estq; vel per se vel per accidens. per se vel principalis vel secundarius.*

19. *Ille ab agente desideratur & intenditur maximè. Hic κατ' ἄλλο & ἑπομένως.*

20. *Est & alius internus, alius externus. Ille est res à natura vel opifice producta. Hic est interni usurpatio.*

21. *Per accidens finis ab agente non intenditur, sed ob aliquam circumstantiam à causa tamen oritur.*

22. *Materia est, unde aliquid fit.*

23. *Estq; vel Permanens vel Transiens, illa in re effecta eandem naturam, definitionem & nomen retinet. Hæc verò illa amittit.*

24. *Est & alia 1. alia secunda. Hæc ad certam formam, illa non ad certam determinata est formam.*

25. *Restat forma quæ rei dat esse, nomenq; tribuit juxta id esse.*

26. *Hæc est vel essentialis vel accidentalis. Essentialis est, actus per quem res est id, quod est.*

27. *Estq; vel separabilis ut anima brutorum, quæ à materiâ cum dependeant, cum eâ quoq; occidunt. Destructo fundamento, tectum corruit.*

28. *Accidentalis forma est accidens substantiæ inhærens, imprimisq; qualitatis.*

29. *Hactenus de causâ: convertimus nos ad causatum, quod à causa dependet,*

Estq;

30. *Estq; vel Effectum, vel Destinatum, vel Materiatum vel Formatum.*

31. *Effectum ab Efficiente, Destinatum à Fine, materiatum à materia, Formatum à forma dependet.*

32. *Sed satis de hoc capite: de reliquis σὺν θεῷ tantumdem.*

Problema I.

Utrum post Metaphysicum Logico etiam sit causarum tractatio instituenda?

Quamvis me calumniæ deterrere hic possent, à patrocinio problematis; majoris tamen faciam rationes, quæ nos oppidò propugnanti; ut ajamus, si alij negent. Ecce: Logica tradit τέχνην παιδείας καὶ ἐπιστήμης, quibus mens humana est erudienda. Scire verò est rem per causam cognoscere: Aristoteles. Aut ergò Logica tradit modum investigandi causas, aut ostendit quomodo generalis cognitio sit applicanda rei speciali per causam explicandæ. Accedit etiam: Logicam tradere omnia ea, per quæ res explicari potest. Explicationem verò à causis ecquis inficiabitur nobilissimam? Præterea Metaphysicus causas considerat quæ sit ratio causalitatis in quavis earum. Logicus verò παχύλως & primis libris eas attingit, pro intelligendo habitudinem aliqualem earum ad causatum. Adde; neminem non esse, qui causarum tractationem & cognitionem in ἀποδείξεως γενέσει non existimet summè necessariam. Quæso te num Demonstrabile thema solum causas habeat à quibus pendeat? res humanæ propter insignem varietatem inconstantes, causas tamen æque habeat suas atq; res æternæ & immortales, quibus Demonstratio quasi propria est. Coguntur ergò omnes, consentire in Logicâ doctrinâ de Demonstratione de causis agendum esse quamvis contrario ore prius negarint. Sitne autem προγνώσις & anticipata cognitio causæ ad demonstrationem adferenda, an verò inibi demum discenda, hic nihil attinet disputare. Ultimo

 quic-

quicquid habet prima philosophia κτήσει subjectivè & demonstrativè; id omne (sub ejus censu causa est) Logica habet χρήσει objectivè & operativè. Pænituerat me omisisse Logicæ esse παραφυές τι Rhetoricam id est similem in terminis, quamvis usu non nihil disparem. Frigidum verò oratorem audias, qui in effectis, in finibus, περικαταρχικαῖς non triumphat magnificè. Vnde, scire velim, hauserit orator illorum terminorum cognitionem, num ex Metaphysicâ, an Eloquentiæ an Logicæ Scholis? noli diffiteri, quod è Logicâ. Stabit ergò nostra sententia invicta & fixa, à Logico etiam pro usu suæ artis considerari causarum doctrinam & rudem explicationem. Id quod erat probandum.

Sitne ergò causæ nomen notionis secundæ, cum sit in Logicâ tradenda? 2.

Si notas δευτέρου νοήματος ab oculatissimo Zab. lib. 1. de nat. Log. passim explicatas æstimes dextrè, non poteris, quin fateâris nomen hoc nostrum esse primæ intentionis, non secundæ. Si verò usum spectes, maximam cognosces similitudinem, quæ ipsi cum secundis notionibus intercedat. Non minus enim per locum causæ explicamus rem, quam per alias notiones & artis terminos: à causis enim argumentationis seu inventionis locus est fertilissimus.

An causa definiri possit? 3.

De causa Logicâ quæstio est, non de Metaphysica? Aimus. Quicquid enim Genus habet, definiri à priori potest: quod genere caret propter maximam & summam eminentiam definiri nequit, quamvis describi à posteriori. Principium verò addimus causæ, vice Generis proximi & adæquati, cum differentiâ, quod ab illo dependeat causatum. Quamvis ejusmodi saltem definitionem hic indigetamus, quales capaces sunt artium termini.

An.

Multi hic ſunt nimium parci, multi nimium largi: illi pauciora, hi verò plura cauſarum habent genera. Poſteriores Goclenius comparat ijs, qui currui quintam velint addere rotam. Nos dicimus priores eſſe ſimiles ijs, qui currui quadriaxi quartam detrahunt rotam. Sed inductione quâdam (probandi rationem in generalibus aliam non habemus) aperiemus ijs, qui Philoſophi auctoritate non contenti, numerum illum nec multiplicari, nec minui poſſe. Extra controverſiæ aleam conſtitutum eſt, in re conſtitutâ apparere materiam & formam. Qui enim oculis ſidit, videt oculis materiam: qui rationi non recalcitrat, videt intelligitq; edi operationes ex Formæ officinâ. En unum cauſarum par. At nihil fit à ſe ipſo; fit autem ab alio. Quid enim materia mancipium paſſionis efficeret ſeipſam? quid forma produceret materiam aut ſe ipſam, cùm demum cum materiâ conjungatur? Ni fallor ergò tertium emergit cauſarum genus. Rurſus: Efficiens nullum agit temerè, ſicut nullus ſagittarius ſagittam fruſtrà proijcit: Sed cum meditatione finis & deſiderio ſcopi. Hic tibi do quartum Genus, tu ſodes, da quintum, ſi Platonizas.

At verò nonne ἀρχέτυπος ſeu exemplaris cauſa eſt quintum Genus? 5.

Peſſum iret præcedens problema, niſi hoc quintum genus eſſet è ſtabulo Efficientium Cauſarum; Efficientium inquio, minus principalium & inſtrumentalium. Καλοπόδιον *ſutoris eſt inſtrumentum, quo abſente nec calceum formare è corio, nec conſuere poteſt: Formularis iſte liber nendi inſtrumentum eſt, quo abſente nihil intertexi poteſt, niſi idea menti ſit profundè impreſſa. Et hæc iterum idea fungitur tunc vice* ἀρχετύπου, παραδείγματος *& inſtrumentalis cauſæ. Videat qui volet Keck.*

lib. 1 System. Log. cap. 15. pag. 135. Goclen. part. 1. probl. Log. 14.

Verumne sit: Cessante causâ cessare Effectum? 6.

Goclenius hunc Platonis canonem dextrè & eruditè explicatum autumat per respectum relationis & mutuæ affectionis inter causam & effectum. Relata enim, inquit, mutuò se ponunt & perimunt. Addit etiam aliam, eamq; meliorem interpretationem distinguendo inter ἐνέργειαν & τὸ ἐνέργημα. Cessante quippe & abolitâ ἐνεργείᾳ tollitur etiam ipsum effectum. Sublato vero ἐνεργήματι, non tollitur effectum. Quid enim obstet, quo minus opifice exstincto perduret opificium? & patre mortuo vivat filius? Tolerabiles hæ sunt Goclenij expositiones & distinctiones. Quid si verò interpretamentum illud sit melius & Græco textui germanius? Si dicamus cessante causâ cessat effectum, idem esse, peremptâ & abolitâ omni causa conjunctim efficiente, formâ, materiâ, deniq; fini, aboleri tolliq; causatum. Canon sic habet: αἰτίας ὀλλυμένης, ἀδύνατον που ἦν ἔτ' ἐκεῖνο εἶναι οὗ ἦν αὐτη ἡ αἰτία. Cur enim non rectius ἐκεῖνο exponatur per causatum, quam Effectum? Cessante ergò omni causâ, cessat quoq; causatum.

Utrum tolerabile sit: Qualis causa talis effectus, & mutuâ vice, qualis effectus talis causa? 7.

Topicam hanc regulam Goclenius salvat distinctione Scaligeranâ. Ecquæ illa? Causarum alia univoca, alia æquivoca. αἰτία ὁμοειδὴς καὶ ὁμώνυμος univoca causa sibi rem producit similem nomine, similem re, inquit Scaliger. Verum αἰτία ἑτεροειδὴς καὶ ἑτερώνυμος producit causatq; rem & nomine & re à se diversam. Homo univoca

produ-

productione generat hominem. Leo Leonem. Homo enim hominũ & nomine & re est similis, Leoq́; Leoni. At Sol parens omnium sapè generat, sed soboles à parentis nomine dici non merentur. Generat Sol sapè mures. Sed mures putridi soles id est nec mures sunt soles, nec sol est mus, nec fiet mus. Intelligis ergò veram esse regulam de univocis, falsam in æquivocis.

An causa efficiens tantum sit boni? 8.

Sic est. Efficiens enim dicitur efficiens, quia efficit producitq́; aliquid verè existens. At bonum tantum existit; malum enim & nihil reciprocè convertuntur. Sicuti aliquid seu ens cum bono mutuo itinere meat: Ens est bonum: & bonum est Ens. Secundò omnis finis bonum quid est. τέλος ἐστὶ τὸ κατὰ τὴν οὐσίαν ἑκάστου ἀγαθόν. *Efficiens enim fine perfici consumariq́; debet; quod à malo est alienum & aversum. Sed verò Efficiens omne finem intendit eoq́; acquisito tanquam fructu suæ actionis sistitur & pacatè quiescit. Aut ergo causa efficiens boni tantum productrix est, aut finis non est bonus, aut deniq́; finis non est quidam efficientis fructus & effectus. Sed linquamus hoc problema, altioris contemplationis problema. Metaphysicis scholis, quæ subtilius & uberius hâc de re disquirunt. Hic libuit saltem illud attingere propter inæstimabilem ejus usum, inprimis in negotijs theologicis.*

An Instrumentum nomen amittat abusu? 9.

Zab. multa habet præclara de instrumenti naturâ cùm alibi; tum vero libr. de nat. Log. & libr. de const. scientiæ naturalis. Inter quæ luculenter aperit naturam instrumenti situm in usu, non verò in ocio, quo etiam ligones inficiuntur. Nisi faber malleo unquam utatur, malleus desijt esse malleus. Mutuâ vice verò instrumenta amittere nomen nimio & inconstanti

ſtanti uſu, vel potius abuſu, id quod Ariſtoteles habet in Pol 1. ubi barbaros incuſat agitq; peſſimi abuſus fœminarum pro ærumnabilibus ergaſtulis & ſervis. Inſigne & lepidum exemplum abuſus inſignis habet ter maximus ille Eraſmus in colloquio De captandis ſacerdotijs: ubi alter alterum miratus alloquitur, illum à ſe eſſe ex eminente & roſtrato naſo agnitum. Naſo, naſi me nihil pœnitet, inquit. Mox alter ſubijcit: Cur te pœniteret tam utilis ad tam uſus varios ſupellectilis? vide enim mihi: Naſus tuus 1. ad extinguendas lucernas cornu & emunctorium erit 2. mox erit loco promuſcidis ex profundâ altitudine ad aliquid extrahendum 3. Follis erit excitando foco. 4. umbraculum erit ſi lumen oculis officiat. 5. In bello navali præbebit uſum harpaginis. 6. In bello terreſtri erit clypeus. 7. In ſcindendis lignis erit cuneus. 8. Tibicini erit tuba. 9. Foſſori ligo. 10. meſſori falx. 11. nautæ anchora. 12. Piſcatori hamus. 13. Coquo deniq; fuſcina. Addo ego; Et quid non? Tam facetus erat Cocles in enarrandis Pamphagi naſi uſibus. Id genus naſi perquàm ſimile videtur gladio Delphico, in cujus uſibus recenſendis lingua laſſitudine fatiſcat. De quo Eraſmus idem, ſed alibi in Adagijs memorat Chiliadis 2 cent. 3. p. 521. πλυμιχιλία tanta abuſuum ergò certum nomen extinguit impertiendo infinitam officiorum & nominum multitudinem, donec nihil ſuperet nominis.

Utrum materia propriè dicta ſit quoq; in ſpiritibus & accidentibus? 10.

In ſpiritibus, actibus ſimpliciſſimis quærere materiæ molem, eſt anquirere in pumice aquas, & in igne frigus. Non ſunt quanti: non ſunt locabiles: non habent partem extra partem. Non moventur. Sunt ἀσεματοι. Ergò & ἄυλοι. De intelligentijs res claret: de accidentibus facilè obtinebimus. Accidentia ἐνυπάρξει ſubſiſtunt non ὑπάρξει, non ὀσία ſed ἐνουσία. Quid? Cui materia contingit, eidem & forma; ex quarum conjugio & coalitu

coalitu corpus constit purè physicum. Ergone accidentia corpora erunt? Ergò multa corpora (nam multa accidentia uni insunt corpori) uni corpori inerunt? ἄτοπον. Relinquitur ergo solis corporeis substantijs materiam propriè dictam inesse, abesse verò accidentibus & spiritibus. Accidentibus tamen inesse materiæ quiddam ἀνάλογον, quod propterea Materiale vocatur, inficias haud imus. Sic Philosophiæ quæ è qualitatum in ordine, materiale esse tres scientiæ & totidem prudentiæ dicuntur. Formale verò concinna dispositio & concatenatus processus in illis tradendis.

Vtrum finis causarum præstantissima 11.

Ex causis patriciam aliquam salutare relictis alijs & neglectis, subdifficilis est censura. Disco tamen ex complexu mutuo fini primas esse concedendas. Taliter Aristoteles sæpè, imprimis primo de part. anim. c. 1. Nec id sine primario argumento Otiosâ enim causâ hac, ociantur reliquæ: ἐνεργουμένῃ verò hac, reliquæ itidem existunt actuosæ: productius dicam; ex Keckermanno tamen. Moles rudis est & indigesta sine formæ architecturâ materia. nec magis materia conjungitur formæ, nisi operans & efficiens machinator scitè eas conjungit, vel modò præparat. triadem causarum habes. At quæso tè, quid sine finis desiderio operatur? Intuere & naturalia intuere & voluntaria: neutra temerè agunt; utraq; cum appetitione finis. Concludo. Materia est mortua sine forma: Forma ad materiam divertit Efficiente causâ præeunte & jubente. Efficiens nullum agit nisi cum meditatione finis. Ergò præcepto finis jussuq; ejusdem Efficiens materiam & formam copulat. Ergò finis Dominus est, cum imperet; Ergò & imperator. Nec omitte isthoc. Præstantissimum est quod omnia appetunt. At finis talis est, quæ in Eth. præclarè demonstrat philosophus.

Vtrum Effectus latina vox causæ sit πάρεργον? 12.

Roma-

Romanæ linguæ docti vel ἐπιπολαίως saltem, continuò inculcabunt; causæ vocem latius patere, effecti nomine in angustias coacto. Hoc qui non videt lippit insigniter. Originationem Effecti repete, quæ est ab radice Efficio; unde Efficiens trahit litteras. Materia verò nec forma nec finis ab eodem themate denominantur. quamvis dicantur causæ. Collige igitur Effectum non à causa γενικῶς denominari; verum ab efficiente tantum. Ergò & huic adæquatè aptabitur. Qui ergò invenies vocem latè patentem adæquè causæ? Si dicas aptesq́; Causatum: *habes quod requirebas. Ut ergò Effectum efficienti, Materiatum materiæ, formatum formæ, destinatum seu medium fini adæquatur: Sic in genere, causa causatum deamplexatur propter æqualem amplitudinem.*

An sit aliquid Efficiens & effectum eodem respectu simul? 13.

Existimas fortassis me hiantibus oculis ad meridianam lucem cæcutire. Erras & ipse cæcum te prædices. Plinius in naturali Philosophiâ ter maximus dictator lib. 2. Hist. nat. c. 107. de Ign. miraculis, audacter philosophatur, Ignem se ipsum parere. Vides, quod inquiat ignem esse parentem ignis eumq́; parentem ignem esse sobolem ignem. Miraculum vidimus; & ipse Plinius inter miracula censet. Quid nos verò? Ignem elementarem aimus ἄσβεστον ideoq́; ἀγέννητον. Ignem focalem & nostratem à seipso generari negitamus: subterraneos ignes ab agitatione pernici, & continua concussione, non secius atq́; silicis & chalybis attritu elictantur ignium scintillulæ, Exemplum ergò præsens neganti problematis parti ne tantillum instantiam validam oggerit.

Sitne efficiens effecto nobilius? 14.

Efficiens universale quod & æquivocum & virtuale,

antestat

antestat omnibus effectis, uti sol dignitate vincit effecta sublunaria. Atq; cum particulari univoco agente divisam dignitatem habet effectus non quidem secundum dispositionem, quæ prærogativam arrogat agenti, sed benè secundum perfectionem essentialem. Efficiens enim sibi similem secundum propriam formam producit effectum Chyn. in analys. Metaph. 5. Ubi autem par perfectio; par ibi quoq; dignitas. Perer. lib. 8. de Causis cap. 10.

ΕΠΙΔΟΣΕΙΣ.

1. *An è Medicorum sacrario nata distinctio causæ προηγουμένης & προκαταρκτικῆς (medici vocant Causam Evidentem & Antecedentem?)* A.

2. *Utrum Galeni συνεκτικὸν αἴτιον idem sit ἀμέσῳ αἰτίῳ?* A.


3. *Utrum ægrotus sit medico finis? sanitas aut ægroto est instauranda, aut robusto & valido conservanda. ideoq; ægrotus medico finis, in quantum cogitationes mentemq; omnem intendit ad restituendam sanitatem. eodem jure sanus homo, cui Medici curatione salutis integritas conservanda, finis Medicorum dicetur. Distinguas igitur inter οὗ & ᾧ. Finis ᾧ est quivis ἰατρὸς. οὗ est ἡ τοῦ ἰατροῦ ὑγιεία.*

4. *Utrum causa per geminum S. scribenda? Si à cavillando vel cavendo sanguinem nimenq; derivat, per geminum S. videtur scribi oportere. Ita enim sonat quasi cavissa. Si verò à casus per simplex.*

5. *Possit ne accidens esse substantiæ producendæ causa? Acerrimos hujus defensores si opperiare, ad Pererium te recipe; cui si obloqui mavelis, 4. sen. dist. 12. Scotum, Ockamum & Durandum consule. Rationes sunt prægnantes, quas apud auctores numerò invenies. Nos hic compendium faciemus. Scoti argumentum non vile & exile sed subtile, Omne agens*

agit

agit usq; ad extremum sua potentia, non ultra. Qui ergò substantia ab accidente, quod illâ imperfectius, produci potest? Addit. Nihil dat, quod non habet, & quicquid â causa in effectu existit, praexistit in causâ vel perfectiore modo, ut in aequivoca, vel aequè perfecto, ut in univocâ. At in accidente nec major, nec aequalis virtus. Conclude ergò. His Orchamus subsidium mittit. In particularibus simile generatur à simili. Ut homo ab homine. at verò accidens & substantia similitudine haut concorditer inter se congruunt. Hoc argumentum alio trinodi roborat: accidens producit substantiam vel ob perfectionem in substantijs nimiam; vel ob imperfectionem: vel ob aequalitatem virtutis. Amabò, ubi perfectio major, quàm in Deo, qui substantiarum ingentem mundum nihilominus produxit? Nec imperfectio praepedit; cum accidens ab accidente creetur, calor enim à calore prognascitur. Accidens autem, ut lychnus à sole in meridie, à substantiâ superatur. Unde, si animum advertis, Ochami tertium argumenti membrum laudabis. Quorum enim ab altero alterum vincitur, eorum par & aequalis virtus haut aestimanda. Amplius: substantia regalior & spectabilior in habentiâ, quàm ullum accidens. Quo igitur pacto substantia effecta dicetur ab imbecilli & populari virtute accidentis? Sic claudatur agmen: imperitè omnes physici, substantijs producendis tantum substantialia attribuerent principia. Hac coronidis loco: Sed manum abstinemus; ne mantissa vincat opsonium.



DISPUTATIO LOGICA VII.

DE SUBIECTO ET ACCIDENTE.

Respondente SEBASTIANO MEIERO *Lub.*

THESES

A Causarum foro ferimur in clarissimam Academiam subjecti & Accidentis.

2. Breviores & parciores hic futuri sumus propter aliorum diligentiam & operam, quâ uti possumus.

3. Causis verò hæc doctrina anteponi non debet, quòd omne accidens subjecto insit propter aliquam causam.

4. Subjectum est cui accidens inhæret.

5. Estq; vel Proprium vel commune.

6. Proprium est, quod cum suo Accidente reciprocatur.

7. Commune, quando multa subjecta idem participant accidens; ideoq; non reciprocatur cum ullo subjecto.

8. Accidens est quod subjecto accidit seu inhæret.

9. Accidentis variæ sunt significationes & ambiguitates.

10. Estq; vel ἁπλῶς dictum vel ποὺ vel κατά τι

11. Κατά τι est quod συγκρίσει & comparatione alterius, in quo idem accidens non est, proprium dicitur: ut hominis proprium est bipedem esse comparatè ad equum quadrupedem.

12. Ποὺ ἴδιον est, quod omni & soli subjecto inest, sed ὐ πάντι χρόνῳ, sed ποὺ, ut risus inest μόνῳ καὶ πάντι ἀνθρώπῳ, non tamen inest ἀεί.

13. Ἁπλῶς ἴδιον est quod sine exceptione temporis, & soli & omni inest. Ut δύναμις γελαστικὴ soli inest speciei humanæ, inest omnibus hominibus sub hac specie contentis: inest deniq; semper. Vocatur ab aliis proprium quarti modi. item Potentiale.

14. *Hoc proprium primò inest universalibus & Speciebus: κατ' ἄλλο autem Individuis.*

Problema prius.

Utrum separato accidente verè proprio à subjecto, salva subjecti essentia esse possit?

In faciundo scelere coëunt mali. Contra veritatem conjurant Calviniani. Novi ego hoc hominum genus. Bonum malum esse volunt: verum falsum esse malunt, ut sui sint similes. Omnia turbant, miscent. Sacrum profanum habent. Sacrilegissima gens est. Hæc ego doleo. In hac conjuratione exercitum ducunt veteres Goclenius, Timplerus, Keckermannus, quibus se sociat Jacobus Chyneus ab Arnage Scotus. Nihil hi intentatum relinquunt. Omnia corruptelarum obsidione & insidijs cingunt. nihil virtute frangunt. magna enim vis veritatis quæ contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam facile se per se ipsa defendit. id quod norunt veteratores plani. Insidias & incursiones expertum quoq; est hoc nostrum problema. A quibus ut liberetur Calvo militi bellum indicitur à nostris expediendum non numero, sed bonitate antagonistarum. Sed constituamus prius tamquam in castello præsidia, quibus hostium aditus prohibeatur.

1. *Proprium accipimus in quarto modo; i.e. quod soli, omni & semper subjecto inest. Græcis ἁπλῶς καὶ ἀεὶ ἴδιον: Reliqua enim genera, intellige proprium ποτὲ, & proprium πρὸς ἕτερον & τὸ συγκείμενον hinc exturbamus; cum sæpissimè subjecto desiant.*

2. *Separationem distinguè; cum sit vel Privativa vel positiva. Privativa separatio est, quæ post separationem accidentis, non reponit contrarium priori accidenti accidens: Positiva quæ separato accidenti contrarium opponeret accidens in eodem subjecto. Talis ex τῶν ἁπλῶς ἀδυνάτων propter contra-*

contradictionem ἐν προσχήματι. Privativam igitur hic retinemus.

3. *Separatio alia naturalis, alia divina & supernaturalis. Illa hic mittitur, quæ propter perpetuam complicationem causarum unam eamdemq; seipsam mutare nequit. Supernaturali virtuti nihil obstat, quo minus separationem realem conficiat.*

4. *Ordinaria naturæ vis, à naturæ creatore per absolutam potentiam sæpissimè impedita est, atq; dum. impediri potest.*

5. *Quæ Contradictionem non involvunt, cœlesti virtute Numinis creari possunt.*

6. *Propria à suis subjectis realiter differunt Keck. lib 1. Syst sect. post. c. 5.*

7. *Effata philosophorum negantia separationem, philosophicè sunt intelligenda; ne in nimias angustias divina cogatur potentia.*

His adversariorum tela retundemus. Et primò quidem Keckermanni, quæ paravit Syst. Log. 1. lib. c. 21. 1. Quod proximè à forma subjecti emanat, impossibile est vel ad momentum temporis à subjectis separari. Atqui propria fluunt proximè à forma. E.

Resp. ex tertio fundamento ad majorem. Impossibile est per separationem naturalem; possibile per supernaturalem & absolutam potentiam. Keckermannus Keckermanno respondet ad majorem per inficiationem consequentis. Ait enim propria à subjectis realiter differre, ergò eâdem operâ ait, propria posse separari, juxta propriam ejus regulam: Possunt à se invicem separari, quæ realiter differunt. 3. Resp. ἐνστατικῶς ab exemplo maris rubri Ex. 14 v. 22. Aquæ proprium est non suis sed alienis contineri & consistere terminis; sicuti terra non alienis sed suis consistit propriis. Hospes verò sit, qui nesciat aquas maris rubri ahenei muri instar suis se terminis jussu divino ædificasse.

Negato proprio, negatur subjectum atq; adeò essentia. Sed vos, inquit, negatis proprium de subjecto.

E. negatis ipsam essentiam.

Resp. Ad majorem per negationem. 1. Propria à subjecto realiter differunt ideoq; separari: ideoq; de subjecto negari possunt, manente tamen subjecti essentiâ incolumi. 2. Est ψεῦδος τὸ λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ, quæstionis enim est utrum negato vel destructo proprio, negetur & destruatur subjecti essentia. 3. Quorum esse non idem est, illorum alterum de altero sine contradictionis involutione negari potest: at esse propriorum, & esse subjecti non idem; hoc enim est συστατικὸν, illud ἑπόμενον τῆς συστάσεως; hoc οὐσιῶδες, illud ἐπουσιῶδες. Et hactenus cum Keck. certavimus.

Goclenianos arietes ijsdem reprimemus munimentis: nullum enim versat, quin conteri queat aliquo suprà positorum fundamentorum, ideoq; ab hac quæstione nos avocamus. Sed Chynæi argumentum, quod & alijs commune, prius consideremus. Est inquit vetus opinio, proprijs à subjecto, cujus sunt propria, sublatis, ipsum subjectum tolli. Mox hujus sententiæ subnectit argumentum: Destructo effecto, non destrui proximam caussam, contradictorium est. Atqui. Ergò. Somnoria aimus sunt deliria Chynæi. Distinguas. Destructo effecto destruitur causa proximâ, quoad ἐνέργημα; relinquitur autem quoad ἐνέργειαν. Destructâ domo, relinquitur architectus. tollitur ab eo ἐνέργημα; relinquitur ἐνέργεια. tollitur artificij applicatio: non tollitur artificium. 2. Simpliciter intellectam regulam demonstrat esse falsam, contraria regula: Posita causâ in actu proxima ponitur etiam effectum. Ignis in fornace Babylonica nonne ponebatur in actu, posito combustibili? Dices existimo. at tamen non ponebatur ustio, immediatus effectus. Argumenta à nostris partibus, qui volet, videat fortissima apud Schrod. Jac. Mart. Meisnerum & alios viros, qui summi sunt: Relinquitur

ergò

ergò absolutâ Dei potentiâ accidentia propria à suis subjectis posse separari, salvâ superstite eorum essentiâ.

II. Problema.

Possitne proprium communicari duobus pluribusve subjectis realiter & essentialiter diversis?

Pernegant philosophi, quorum nova Theologia cum nova philosophia juxtim nata est, Calviniani. Rectè verò philosophantes ab ijs jure faciunt divortium, ne veritatem impuris involvant mendacijs. Fundamenta & fontes solvendi erratica Calvinianæ scholæ philosophicæ argumenta primò astruamus.

1. Non pari jure propria insunt diversis subjectis: Communicanti nempe & accipienti: Communicanti quidem πρώτως, ἀμέσως, φυσικῶς ἢ ἐνυπαρχτικῶς καὶ καθ' αὐτὸ *insunt: accipienti verò* δευτέρως, ἐμμέσως, συνδυαστικῶς ἢ ἑνώσει καὶ δὴ κατ' ἄλλο.

2. Communicatio fit ἄνευ μεταβάσεως *sine effusione & transgressione. non enim relicto communicante, proprium migrat ad accipiens subjectum.*

3. Nec accipienti post communicationem communicata affectio fit propria & οἰκεία, *sed propria manet communicantis subjecti. Laudamus ergò Goclenij regulam instit. Log. lib. 1. c. 8. p. 159. unum non nisi uni primo subjecto ut proprium inesse potest.*

4. Vocabulum (commune) habet ambiguitatis errores: sumitur quandoq; pro tali accidenti, quod multis subjectis realiter diversis æquo jure competit, ut albedo lanæ, cygno, parieti, Syndoni. Quandoq; accipitur pro proprio, quod propter unitissimam conjunctionem duorum subjectorum essentialiter diversorum, utriq; subjecto quasi commune dicitur, quamvis communicanti proprium sit.

5. *Ideoq; non idem & unum est Commune & communicatum, κοινὸν καὶ κοινώνητον. Amiculum meum pro arcenda pluvia tibi à me communicari potest: sed commune tibi mecum non est possessionis jure.*

6. *Subjecta sint realiter diversa, sed ne localiter sejuncta.*

Ex his fontibus liquidò λύσις omnium argumentorum promanat Calvisticorum.

1. *Argumentum ex philosopho arripiunt 1. Top. c. 5. Nemo id proprium dicit, quod in aliam rem transferri potest. Resp. ex secundo fundamento. Quod in aliam rem transferri potest, ita ut prius deserat subjectum; id nemo dicit proprium. Sed nos nihil minus, quam hoc dicimus. Communicanti enim subjecto semper accidens manet proprium, nec ipsum egreditur, propter essentiam subjecti à qua fluit immediatè. Eadem λύσις est aliorum locorū Aristotelicorum.* Proprietates *essentiales non egrediuntur propria subjecta: ita ut subjecta deserant. Et quis hoc negat? Item ἀδύνατον est idem duorum aut plurium esse proprium. nos non aliter: Communicantis enim proprium manet, nec dicitur accipientis eodem jure proprium. Sed Goclenij glossema ridiculum est, qui illud Aristotelis axioma sit interpretatur: Impossibile est unum duobus discrepantibus subjectis, discrepantibus inquam specie & natura propriè inesse. Iteratò dico: utriq; subjecto non inest ut proprium accidens adaquato & πρώτῳ δεκτικῷ.*

2. *Argumentum. Quod communicatur, commune est. At quoddam proprium communicatur Ergo quoddam proprium est commune, Conclusio oppositum in opposito involvit. Ergò vel Major vel minor falsa. At non major. Ergò Minor: Minor autem, inquit, est vestra.*

Resp. ex 4. fundamento ad Majorem per inficiationem; de qua re etiam doctiss. M. Thomas Rhedius Scotus in Theorematis philosophicis de Accidente proprio. 2. Distinctione vocabuli communis. Commune enim interdum significat, quod

utriq;

utriq; non magis proprium quàm alteri. hoc significatu negamus Majorem. Interdum significat, quod uni subjecto proprium, alteri verò subjecto per conjunctionem subjecti proprij & adaquati conjunctum propter penitissimam περιχώρησιν.

3. Argumentum. Quorum essentia non est communis, illorum etiam propria non sunt communia. At subjectorum realiter diversorum essentia non est communis. E. Resp. Ad Majorem per limitationem. Quorum essentia nullo modo est communis illorum propria non sunt communia. At diversa realiter subjecta per συνδύασιν & ἕνωσιν communicant essentias, ergò etiam taliter propria. 2. Concedimus propria haut esse communia.

4. Pergit Calvinianus: Si communicatur proprium, communicabitur subjecto ut insit. Quæ enim foret communicatio, nisi inesset proprium? Ergo unum numero accidens potest de subjecto in subjectum migrare. Profectò ingenua est confessio malitiæ: ideoq; dignè absolvam. Protervè & incogitanter, ô Calvinista, sophisticare nimium. Laudo tamen te apertum esse. Ignoratione elenchi peccas: non enim umquam voluimus concedere μετάβασιν, sed ursimus συνδύασιν καὶ οὐσιώδη ἕνωσιν. 2. Ideoq; falsarius crimen falsi committis & comminisceris. 3. ἀνακόλουθον committis pueriliter. Quæ ratio sequelæ? communicatur ut insit, ergò de subjecto proprium transit in subjectum. Agnosce tandem, agnosce imbellem consequentiam. Transitio requirit subjectorum διάστημα. at nostra subjecta περιχωρῆσαι arctissimè se penitrare; nisi surdo narrata sit fabula, credo inaudijsti ex nobis.

Sed videamus quintum argumentum. Si communicantur propria ut insint, utiq; & subjectum communicatur ut insit, à quo ad oculi ictum ne quidem abesse possunt. Diobolare hoc argumentum immaniter nobis imponit captioso grypho & κακοτεχνίᾳ sycophantica. Dicam quod res est: admittis σόφισμα παρὰ μὴ τὸ ἑπόμενον. Da rationem tuæ majoris. 2. Largimur tibi, subjectum subjecto inesse: sed audi cautionem; inest sub-

jectum

ectum subjecto non ἐνυπαρκτικῶς, quomodo accidentia ἐνυπάρχει substantiis; verum κατὰ περιχώρησιν, resultantem ex penitissimâ συνδυάσεως ἑνώσει. Tua ergò major κατά τι vera, nequaquam est absurda.

Dimittam Calvinianum nostrum praeceptorem, ubi unum adhuc perdiderimus argumentum, quod δόλῳ καὶ ἀπάτῃ nos ferit obliquâ. Est verò tale: Si communicatur unum, communicantur omnia propria. Atqui antecedens verum. Ergò & consequens membrum. Respondemus ἐνστατικῶς ab exemplo ignis & ferri. Ignis ferro communicat fervorem & vim urendi, non tamen communicat levitatem, qua semper sursum nititur & ascendit. 2. Concedimus κτήσει omnia propria communicari: negamus autem χρήσει communicari. Nunc tempus ab hoc praelio discedendi: ideoq; etiam quiescimus; eoq; libentius, quò alij auctores fuerunt diligentiores in hoc materia argumento.

Collectio πορισμάτων.

Ergò propria divinae naturae possunt communicari humanae naturae Christi. Ergo proprium communicatum, non fit commune.

COROLLARIA.

1. An verum sit Axioma physicum. Ex nihilo nihil fit. A.
2. An fortes dicendi qui diabolicis artibus inducunt stuporem membris, ne vel vulnerari possint in bello, vel ullum ex ictu dolorem in corpore sentire. N.
3. An ebrietas excuset peccatum. N.
4. An musica deceat Principem. A.




DISPUTATIO LOGICA VIII.

DE TOTO ET PARTE.

Respondente VVILHELMO SIMONIO, Rost.

THESES



Nter primos terminos primæ partis Logicæ restat Totius & Partis materia, cujus summa jucunditas decertat cum utilitate, & hac cum difficultate.

2. *Non tantum propter ingenia litibus & Eridi destinata; sed & propter rei amplitudinem & immensam profunditatem.*

3. *Præferemus nos difficultati jucunditatem; utilitatem ingeniorum vanitati.*

4. *Auspicamur ergò rem sine mora.*

5. *Auspicamur rem & initium facimus à definitione ejus.*

6. *Totum est quod partes habet.*

7. *Totum aut est extraordinarium, aut ordinarium.*

8. *Extraordinarium, quod & hypostaticum, est, quod non congruit ad totum naturale, ideoq; regulis ordinariis non est censendum.*

9. *Ordinarium totum est, quod in natura & ordine rerum est usitatum.*

10. *Totum ordinarium iterum Triplex est: Universale, essentiale, & integrale.*

11. *Universale totum est, quod commune est inferioribus.*

12 *Essentiale Totum est, quod continet partes constituentes unam actu essentiam.*

13. *Integrale Totũ est, quod constat partibus integrantibus.*

14. *Totum integrale seu quantitativum aut est homogeneum aut heterogeneum.*

15. *Homogeneum & similare est, quod constat partibus eandem naturam adeoq; idem nomen habentibus cum toto.*

16. *Heterogeneum, sive dissimilare totum est, quod habet partes essentiam & nomen à Toto diversum trahentes.*

17. *Pars aut est extraordinaria aut ordinaria.*

18. *Ordinaria pars iterum est vel universalis vel essentialis vel integralis.*

19. *Universalis, quae & subjectiva, iterum duplex: vel enim sunt species respectu generis: vel individua respectu speciei.*

20. *Pars essentialis est, quae constituit totum essentiale: estq; duplex materia & forma.*

21. *Integralis pars est, quae materiam integrat.*

22. *Estq; iterum vel homogenea vel heterogenea, sicut & totum erat vel homogenes vel heterogenes.*

23. *Ὁμογενὴς sive similaris est, quae idem nomen cum Totius nomine possidet; ut quaelibet particula auri est aurum: veluti grandis aliqua auri moles est aurum.*

24. *Ἑτερογενὴς pars, cujus natura & nomen à Totius natura & nomine diversa sunt.*

Problema 1.

Utrū scita finitio: Totū est, quod habet partes?

Non parvae celebritatis Philosophus hanc vulgatam definitionem abjiciendam existimat propter Totum perfectionale, *quod vocant. Definitio enim Definito est adaequanda. Atqui perfectionale Totum est ὅλως ὅλον, ideoq; est ἀμέριστον, ideoq; ἀδιαίρετον. Tale Totum est solus Opt. Max. Deus, qui totus est sine partibus, totus sine totalitate, totus sibi, totus ubiq; totus aeternum. Videtur speciosa quidem ratiocinatio: sed in se nullius est precij. Deus enim totum dici nequit καθ' αὑτὸ sed κατ' ἀναλογίαν duntaxat. Latet ergò error in vocabulo Totius. Nobis proba definitio videtur, ob rationes sequentes: 1. Duo sunt Toti essentiam tribuentia: primò, ut partibus Totum constituatur:*

tur; secundò, ut partes in toto uniantur. At quæ essentiam & constitutionem ingrediuntur, consequenter definitionem ingrediuntur. Majorem probo à consensu universi populi Peripatetici. 2 Relativa se mutuò definiunt. At totum & pars sunt χετικά. At pars definitur per Totum. E. & Totum per Partes. 3. Totum est aliud nihil, quam partes simul sumtæ, probatore inter alios acutissimo Zabarella. Nullum ergò Totum ἀμερὲς propriè est Totum. Si enim datur Totum absq; Partibus, ponitur Totum absq; Toto, & idem sine seipso.

An Totum majus Parte? 2.

Cui de hac κοινῇ ἐννοίᾳ dubium? Fans infans si non ore, at consensu stabiliunt unanimi quæstionis veritatem. Appone puero pomum integrum, pomumq; dimidiatum. Integrum eliget, relicto dimidio, non quia disciplina sic eruditus, vel consuetudine doctus & inductione, ut vult Zabarella lib. 1. post. Anal. p. 672. sed quia id à natura expresserit, hauserit, arripuerit. Malo ego acceptare integrum Joachimico Thalerum (sic dictum à valle Joachimica cujus Dominus Illustris Comes eam monetam tanti precij primus cudi jussit) quam 30. asses. Sed verò instantiam inferes ex Hesiodo inquiente: ἥμισυ μὲν παντὸς πλεῖον. Dimidium plus toto. *Dicerem ego: credat Judæus Apella, nisi Optimi Poëtæ verba sano donari possent sensu. Hic enim nec Metaphysicè nec Logicè Totum intelligendum est: sed Ethicè. Tunc enim pars major Toto est.* Cum totum apprehendere est malum, dimidium verò sumere moderatè se habet. *Nemo ambigit moderatum plus & præstantius esse immoderatu: illud durat, hæc dispereunt. Non ignoro etiam alias esse hujus proverbialis sermonis expositiones, quas consultò præterimus, cum huic cedant omnes reliquæ. Nobis si interpretibus esse liceat, diceremus,* Dimidium Fortunarum & opum, quod in manu tua situm, plus esse, quam totam sortem in manu Fortunæ positam. *Sic 500. flor. pluris æstimo in arca, subtractos*

periculo, positos, quam mille numerandos à contentioso, contra, quem mihi jure est experiundum. 3. Quin & de benè honesteq; partis opibus *accipi potest, cum malè parta, malè dilabantur. Nos Germani perquam simili utimur formula, loquentes de illicita rapaciq; corrasione & aggestione opum, quæ vindictâ ore devorantur,* Ein Pfennig recht erworben / Ist besser dan ein gantzer Gülde / durch vnrecht gewonnen. *Ubiq; ergò per συγκρίσιν & comparatè Hesiodus exponendus.*

Utrum Totum sit in se ipso? 3.

Prima fronte apparet quæstio paradoxo similis: quamvis commoda adhibita explicatione verarum similis est. Distinguimus inter materiale & Formale Totius. Formale est ipsum Totum in se consideratum. Materiale vocamus partes, per quas Totum constituitur. Formali ratione totum non est in seipso. Materiali autem ratione excusari potest, qui dixerit Totum in seipso esse. In partibus enim Totum continetur, ut Genericum totum seu genus in sua specie: Essentiale & integrale Totum, ut in suis causis. At partes simul sumtæ non differunt πραγματικῶς à Toto: sed conceptu seu ratione dumtaxat.

An Totum & partes sint Ejusdem prædicamenti? 4.

Rectè asseritur. Sed prius sciendum, non uno omnes res modo in tabulis prædicamentorum collocari. Quintuplex ille est: Directus, analogus, collateralis, Reductivus, deniq; per accidens. Non enim omnes res eodem modo habent: alia aliis est perfectior. ideoq; & modus alius est perfectior, alius minus. Nam pro ut res est in Esse, ita & in Prædicamento. Ex hoc quintupli modorum genere, is directus & perfectus est, qui ornatus his insignibus: 1. notet Ens reale & positivum. 2. simplex & per se unum. 3. universale. 4. Completum seu Totum. Jam distinctè respondere possumus. Directè enim partes non sunt in eodem prædicamento,

dicamento cum Toto, defectu quartæ notæ. Tantum reductivè eas esse dicas; Reductivè inquio ad sua tota, à quibus pendent. Omnis enim Pars incompleta res est extra Totius essentiam. De Toto universali major difficultas esset idem assertare. Species enim, quæ pars Universalis, Completum Ens est, imò genere completius, ideoq; Directè in prædicamento cum suo Toto continetur.

An quicquid inest & tribuitur Toti, etiam insit & rectè tribuatur partibus? 5.

Iterum distinguimus Inter materiale & Formale Totius. Formale Totius est ipsum Totum in se consideratum. Eodem sensu vocatur Totum Metaphysicum & Logicum. Huic multa insunt, quæ partibus inesse nequeunt attributa. Totum à partibus constituitur: partes à partibus non constituuntur. In toto partes uniuntur: non uniuntur partes in partibus. *Concludimus ergò,* quicquid Toti ratione formali inest, non rectè inesse dicitur partibus Totius. *Keck. in Syst. Log. de Toto universali retur. rectè posse pronunciari: Quicquid inest Toti inest etiam speciebus.* Atqui Genus communicat essentiam speciebus. Atqui genus disjunctivè enumerat species: *animal aut homo aut bestia est. E.* etiam species. *At conclusio deridicula. E. & Keckermanni major. Ut necessario repetenda sit distinctio Formalis & Materialis Totius. Toti enim, quale-quale sit, quod tribuitur, id rectè non assignatur partibus ratione formali.*

An ergò quicquid Toti materialiter accepto inest, rectè inesse dicatur partibus? 6.

Universalibus partibus id omne inest, quod inest Toti. Species enim totum genus in se absorbet. Et Quicquid de Genere dici potest, potest idem dici de specie. Deinde Totum integrale vel homogeneum seu similare est, vel heterogeneum & dissimilare. Similari parti id inest omne quod Toti. tenuissi-

ma stilla aquæ, aqua est. Hetrogeneæ parti secus accidit. malè colliges: quia homo videt. E. pes videt. Taliter judicandum de essentialibus. Homo enim ratiocinatur, non tamen corpus ratiocinatur. Iterum ab his excipe essentialia, quæ κατ' σύνδυασιν vel potius συνδυάσεως ἕνωσιν se ita mutuâ περιχωρήσει penitrant, ut quod Toti inest, etiam partibus inesse dicatur, quamvis uni parti πρώτως καὶ οἰκείως, alteri verò δευτέρως, ἀλλοτρίως καὶ κατ' ἄλλο. Sic quia anima vivit, & propter hanc homo, corpus dicitur vivere, propter mutuam pervasionem & συνδύασιν corporis & animæ. Nec aliter est in persona Salvatoris nostri, quæ naturis divina & humana quasi integratur. In illa enim propter penitissimam unionem & unitissimam penitrationem partibus id omne inest, quod toti: quamvis propter alterutram partem, cui κυρίως inest, toti prius inest.

Sitne verum: Sublatâ parte tolli totum? 7.

Totum sibi totum est, quia partes habet omnes: desitum est totum, si harum minima abest. Totalitas ergò omnium totorum consistit in partium omnium (omnium dico) cohæsione & præsentiâ. Ubi ergò una pars desit: interit totalitatis ratio. Abscisso digito uno, continuò homo non est totum integrale. Sublata specierum una, genus amplius non est totum universale. Essentialium partium una sublata, tollitur totalitas Totius essentialis. Peremta ergo & remota parte, Totius ratio, essentiaq; & nomen actutum peremtum expirat.

Utrum partes prædicentur de Toto in casu recto seu in quid? 8.

Verum de partibus, *quas vocant,* subjectivis, *quæ subjacent toti universali. Rectè dicemus: Quoddam animal est homo: quoddam animal est bellua. Hic ergò prædicatio συνωνύμως est formata. At integrantes & materiales partes paronymicè de toto dumtaxat pronunciantur. Quis enim dicet? homo*

homo est pes: homo est caput? Quid de essentialibus fiet? Nec hæ aptæ natæ sunt de Toto prædicari in quid? ἀλόγως enim dixeris, homo est anima, homo est corpus. ἔνστασις. *At dicimus: Homo est corpus. Corpus autem pars essentialis hominis est. Resp. Error latet in vocabulo Corporis. Quandoq; notat* totum generale compositum, *& combinatum ex materia & formâ. Et ita in serie prædicamentali substantiarum pro genere ὑπαλλήλῳ collocatur. Interdum verò* pro parte corporis materiali tantum cum formæ exclusione: *seu quod idem est, pro substantia incompleta cum formæ præcisione. Hoc significatu homo non dicitur corpus; sed priori, in quo corpus idem est, quod substantia ex materiæ & formæ complexu orta.*

Utrum partium expers possit esse Totum? *9.*

Negamus. 1. omne Totum est divisibile. immò omne totum in partes *est divisibile. E. necesse est Toti inesse partes. 2. omne totum à partibus constituitur, quæ totius essentiam ingrediuntur. Absente autem principio, cessat principiatum. 3. in quo partes uniuntur, id partes habet. In toto partes uniuntur. Conclude. 4. Totum cum partibus idem est simul unitis. Et hæc attingit conditio ad omnia Totius genera. Quomodo autem idem sui-ipsius est expers? Inde consectaria. 1. Deus non est aliquid Totum, quia simplicissimus. 2. Angelus sive bonus sive malus non est Totum. 3. Anima non est Totum, propriè dictum, respectu potentiarum, quod ideò* potestativum *appellarunt.*

Utrum Totum realiter differat à partibus simul sumptis? 10.

Negamus: quia 1. Totum à partibus separari nunquam potest. Quæ non separari queunt, neq; realiter differunt. 2. quicquid cum altero reciprocatur, non differt ab illo realiter. At totum cum partibus reciprocatur simul unitis Ergò. 3. Quorum alterum sine altero nec est, nec esse potest, illa realiter non differunt. manus à corpore avulsa manûs officium non facit ulterius,

terius, nec nomine gaudet veteri. Totum etiam à suis constituitur partibus, & in eo omnes coniunguntur partes. Si ergò totum est, necessum est & partes adesse Totius. Sine illis enim Totum non est Totum. ὅλον ἄνολον, quod idem est ac σιδηρόξυλον. Potest tamen contraria opinio parib. probabilitatis momentis stabiliri.

Utrum partes Toto priores? II.

Quaeritur de prioritate causalitatis: Et affirmatè respondemus; quia constituens & producens est prius producto. At partes constituunt Totum. Ideoq; & ipso priores. Si quaeris de prioritate dignitatis: contrarium est verum. Partes enim perficiuntur, sustentantur & à Toto diriguntur. Partes quippe extra Totum partes non sunt, nec suum exequuntur munus.

Utrum intellecto Toto partes intelligantur?

Confusè intelligis partes cognito Toto; distinctè non item; si evolutè tibi partium indaginem proponis; distinctè demum cognosces. Animale cognito cognoscis hominem & bestiam: at non nisi quoad generis essentiam: quae homini cum bellua communis. Sed satis problematum de hac materia in logica velitatione: plusculum idq; contentius & operosius in palaestra Metaphysica.

MANTISSÆ.

1. An Accidens propriè dictas habeat partes. N.

2. Sitne in Theologia quartum genus Totius necessarium, nempe Totum Hypostaticum? A.

3. Quomodo discrimen inter integrale & essentiale totum rectè cognosci queat? Judicium de discrimine facile, modò quis rectè attendat. Ubi materiæ nulla, quæ adesse debebat, pars desit; materia dicitur totum integrale. Si verò totum compositum ex materia & forma nempe attenditur: dicitur totum essentiale. Integrale ergò totum quasi pars est totius essentialis.


4. Utrum barba sit pars integrans hominis masculi? constanter Negamus.

DISPUTATIONUM LOGICARUM IX.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE

Respond. CHRISTOPHORO DIVACHIO Sterneberg.

THESIS I.



Resolutis terminis primis nostra Logices, ruimus ultrò ad ortos, qui sese habent adinstar figurarum compositarum in Grammaticâ: Et si enim ex duabus conbinentur composita verba dictionibus; non tamen absolvunt Syntaxeos structuram. Nec orti termini absolvunt σύνταξιν propositionis; etiamsi ex duobus pluribusve terminis construantur.

2. *Ortus terminus est vel Consentaneus vel Dissentaneus.*

3. *Consentaneus est, rerum consentientium secundum essentiam, aut secundum extraria accidentia.*

4. *Estq; vel Resolvens vel conferens.*

5. *Resolvens est qui aut definitum in definitione, aut divisum in Divisione in partes resolvit.*

6. *Hinc est vel Definitio, vel Divisio.*

7. *Definitio est oratio, quid res sit explicans.*

8. *Estq; vel Perfecta vel Imperfecta.*

9 *Perfecta & κατ' ἐξοχὴν Definitio est quæ rem, quid sit, per Genus & differentiam Specificam explicat.*

10. *Ejusmodi Definitio in solis substantijs adinvenitur.*

11. *Imperfecta seu impropria est, quæ rem per alios terminos explicat diciturq́; Descriptio.*

12. *Estq; vel Causalis, vel ex coacervatione accidentium, vel ex coacervatione partium.*

13. *Tales adhibentur potissimum definiendis accidentibus, in quibus loco differentiarum varij assumuntur termini.*

14. *Tantum de Definitione: Divisio est oratio, quâ Totum in partes dividitur.*

15. *Divisio hic intelligitur* ἐννοητικὴ *seu mentalis, non realis, ut cum arbor averruncatur à radice.*

16. *Estq; vel Perfecta vel Imperfecta.*

17. *Perfecta & propria est, quæ totum propriè dictum in partes propriè dictas resolvit.*

18. *Estq; vel totius Universalis, vel Essentialis vel Integralis in suas partes divisio.*

19. *De his præcedenti disputatione de Toto & parte actum est curiosius.*

20. *Impropria Divisio est, quæ totum impropriè dictum in partes dispescit.*

21. *Estq; vel subjecti in accidentia, vel Accidentium per sua subjecta, vel effectorum per causas, vel causarum per Effectus, vel rerum per sua objecta.*

22. *Calame fige pedem, nec metâ longius excurre.*

23. *Sic enim hactenus facere consuesti.*

Problema I.

Sitne definitio ex censu τῶν ἄνευ συμπλοκῆς?

Centrum circuli ecquis refragatur esse indivisibile, ideoq; simplex, licet ex eo & in eo omnes sunt lineæ, abinde prodeuntes? Definitiò centri similis est; quia essentiam in medio rei positam evolvit & explicat. Ideoq; & simplicitati centri congruè respondet. Sed quid peregrino termino problema comprobo? Habemus rationes domesticas. 1. Essentia rei est simplicissima. Ergò & Definitio. Hæc enim ὁ τῆς οὐσίας λόγος. At si essentia unius rei non est simplex, res una, amplius una non est, sed est multiplex, & idem divisum in seipsum. Insaniens sapientia. 2. Definitum est simplex res. Ergò & Defi-

nitio.

initio. ¹ *Quia definitum est unum cum definito & ἀντιστρέφως remeant. Zab.lib.3.de Meth.c.13. 3. Qualis est res, talis est terminus rei applicatus. At res definienda est simplex. Ergò & terminus Definitionis.* Integræ namq; sententiæ non recipiuntur in prædicamenta (per consequens nec definiuntur) nisi loco simplicium ponantur sive in simplicia resolvantur. Murmelius. 4. *Phylosophus nos probat οὐδὲν ἐν τῷ ἑρμησμῷ ἔπεσιν πλείοσι κατηγορεῖται. Argumentorum contrariorum, quæ exiliora, quàm pauciora, minas contemnimus, cum nocere non queant. Enota hic & observa, quod observatum maximè prodest. Pleraq; adversorum argumentorum hallucinari sophismate ἀναιτίου ὡς αἰτίου. Etenim existimant ubi* plura verba conglobantur, ibi continuò propositionem confieri. *Sed gravissimè, ne quid gravius dicam, errant illi. Differt enim & multum differt Propositionis affirmatio negatioq; à declaratione seu explicatione. Explicatio rem evolvit, distinctè cognoscendam, utens multis vocabulis καθ' ἡμῶν ἀπόληψιν pro διαγραφὴν γνωστικήν: attamen non affirmat, non negat. Propositio autem prædicatum subjecto vel inesse vel abesse pronunciat. Vides discrimen: ideoq; nobiscum facies, ut adversariorum elidamus rationes.*

Anne definitio Definitionis Aristotelica sit Explicans quid res sit? 2.

Philosophus 2 post.c 10. inquit, λόγος ἐστὶν ὅρος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Definitio est oratio (at non enunciativa) quid res sit *explicans. Nervum Definitionis in essentiæ explicatione consistere asserit Philosophus. At multæ definitiones ipsum essentiæ punctum non explicant, contentæ rudiori enumeratione vel causarum vel accidentium, vel coacervatione partium. Videtur ergò hæc definitio esse propria definitioni essentiali seu οὐσιώδει tantum, quæ rem per Genus & differentiam enodat.*

Unde cognitio διωρισμένη & distinctissima imò plenissima oritur: Sicut etiam Philosophus d. l. 3. testatur ὁρισμὸν εἶναι τῆς οὐσίας γνωρισμόν. Si tamen cognitionem τοῦ Quid sit res *accipias in prolixa & licentiosa significatione, pro cognitione etiam quali quali; ut est συγκεχυμένη, nihil obstat, quin omnibus Definitionis generibus κατὰ ἀναλογίαν & κατά τι adaptetur. Summa huc redit: πρότερον καὶ κυρίως Definitionis definitio Aristotelica competit definitioni essentiali: ὕστερον & ἀκύρως reliquis definitionum familijs.*

An unius rei una definitio? 3.

Sic ait philosophus οὐκ εἰσὶ πλείους τοῦ αὐτοῦ ὁρισμοί. Metaphys. autem 6. c. 12. reddit rationem unitatis hujus inquiens: ἑνός τινος δεῖ αὐτὸν εἶναι λόγον, καὶ τῆς οὐσίας ἕν. Quia si essentia una unius rei est; oportet sit una etiam definitio. Definitio enim est τῆς οὐσίας λόγος. Ideoq. quidem verum fuit axioma de essentiali definitione: de secundarijs definitionibus idem asserari nequit. Una enim res varijs ὑπογραφαῖς describi potis est; nempe vel à nominis originatione vel ὁμολεξίᾳ, vel à causis, vel ab accidentibus, vel κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. vel ab alia aliqua descriptionis formula.

Utrum accurata definitio admittat negationem. 4.

Negamus. 1. quia definitio significat τὸ τί ἦν εἶναι: Quid res sit. At negatio non significat, Quid sit *sed manifestat* quid non sit. *2. Nullius rei essentia non est Non-essentia. At negatio subinfert non essentiam. At definitio & essentia sunt idem. Si ergò definitio admittit negationem: essentia utiq; admitteret negationem sui ipsius. ἄλογον, ἀδύνατον, ἀργὸς ἀνάλφιτος. Duabus autem cautionibus hic opus. 1. ἀπάρνησις tolera-*

toleranda in Deo propter summam perfectionem. Deum cognoscimus sciendo quid non sit melius, quàm quid sit. Juxta illud:

Quod Deus est scimus, si quid sit, scire velimus,
Supra nos imus; sed, quod sit summus & imus,
Ultimus & primus, scimus; plus scire nequimus.

Deinde in entibus quibusdam propter nimiam entitatis tenuitatem, quomodo materia prima solet definiri.

Utrum definitio magis & minus recipiat? 5.

Videtur hoc velle philosophus 6. Topicorum ubi de Definitionis ἀποτομῇ agit, quando superfluè redundant multa. Haut inficiemur plurima posse in definitionibus redundare, idq; duplici modo: 1. cum differentiæ, vel ejus, quod differentiæ vice fungitur, partes exprimuntur, ut physica est scientia corporum naturalium, animalium brutorum & hominis. 2. Cum admiscentur ea, quæ de essentia rei non sunt. Sed hæc quid nobis obstant? Definitio enim quâ definitio, id est in sua ideâ & natura hic consideranda; non quatenus ab artificis definitoris imperitia περισσὸν ei incautè assuitur. Non ergò recipit Definitio vel contensionem vel dimissionem. Etenim definitum nullum quoad essentiam recipit gradus. Ergò nec definitio quæ cum definito idem. At nonne, inquies, qualitates definiuntur? Imò verò, respondemus. infers: at qualitates gradibus variantur: Quidni ergò & definitiones qualitatum? Tale ratiocinium profert haut vulgaris doctrinæ philosophus. At meo judicio non benè: Nam definitio est ὀυσίας λόγος: Essentiam explicat. At qualitates gradibus vel augentur vel minuuntur, non ratione, ὀυσίας sed saltim ratione ὑπάρξεως, singularis inhæsionis in hoc vel illo subjecto, ita vel ita disposito. Concludo ergò gradum non attingere definitionem, cùm non concernat essentiam, quæ si esset vaga, unum ens uno modo non haberet.

An definitio æquipolleat definito? 6.

Asserimus cum aliis ferè omnibus. 1. Quia definitum & definitio verâ-re non differunt, differunt saltem conceptu. Zab. lib. 3. de Meth. c. 13 2. Manus compressa explicita & dilatata naturâ æquivalet; Definitum autem contracto pugno haut est dissimile. 3. Reciprocantur. Ad ἰσοδυναμίαν verò simplicium requiritur; primò reciproca æqualitas terminorum, quorum neuter plus contineat quàm alter. secundò identitas prædicationis, ut quidquid de definito dicitur, hoc idem de definitione dicatur. Cave deniq; existimes, de Definitione formaliter consideratâ hæc dici: dicuntur enim de materiali: Namq; quantum formaliter accipitur & intentionaliter, extra dubium multa sunt definitionis, quæ continuò definiti non sunt; atq; ideò nequeat æquipollere.

Utrum Divisio & Divisum reipsa differunt? 7.

Negativa vera est, falsa autem affirmans. 1. Quia Totum & partes reverâ non differunt. At Divisum Totum est. 2. quia Divisio in partes est dumtaxat mentalis. 3. Divisio & divisum reciprocantur. 4. Divisio & divisum ejusdem sunt naturæ & essentiæ, quatenus materialiter attenduntur.

Utrum Divisionis membra semper inter sese dissentiant? 8.

Effatum est: partes de eadem re simul affirmari non possunt. *Inde fundamentum jacit facitq; ajens problematis veritas. Etenim ni partes de eadem re affirmari possunt, in propatulo res agitur, partes inter se dissentire. 2 Nisi*

dissentiunt inter se:, qualibet earum partium est Totum: nec Totum in partes dirimi potest. 3. Membra non dissidentia, non sunt membra. Attende tamen quod omnes monent; non requiri, ut partes mutuas alant inimicitias; sed satis esse, ut terminus à termino qualitercumq; differat.

An διχοτομία ubiq; venanda? 9.

Ramei nimis sunt superstitiosi in διχολογίᾳ, quæ tamen non rarò nimiâ subdistinctiuncularum multitudine ingenia magis lancinant & turbant, quam adjuvant. Satis est si tria vel quatuor membra aliquali modo dissideant, etiamsi ita semper unum uni non est contrarium: quod φιλοδιχοτομικοὶ imprimis observantissimè intuentur. 3. Multa dantur exempla, quæ ad bimembrem βραχύτητα referri nequeunt. Unum *è multis hoc est: animalium alia terrestria, alia aquea, alia ἀμφίβια, alia sunt aëria. Si διχοτόμως partiri velles cum quodam physicorum deridiculo bestias in* aqueas *&* terrestres: *& has vel in superficie terræ viventes, vel supra superficiem, nempe altius in aëre: 1. omittis ἀμφίβια. 2. Cælum terrâ misces. Etsi enim nulla sint animalium aëriorum, quin ad terram descendant; quia tamen magis agunt nidosq; cogunt in aëre, terrestres bestiæ dici nequeunt.*

Utrum divisio facta per oppositionem habitus & privationis tolerari queat? 10.

Ni penuriâ vocum sæpissimè laboraremus στερήσεις quidem locum in Divisionibus nullum invenient. 1. Divisio enim debet fieri per ea quæ toti insunt. 2. partes sint ex eodem rerum genere sumptæ. *At privatio cum habitu quo tecto utitur communi?*

An Divisio perfecta in membra proxima, & immediata fiat? II.


Tritum est: Divisio non facit saltum. *Hujus Canonis ratio est, quia omitteretur, aliquod membrum, si mediata membra ponerentur. Mediatum enim nominare possum, occultato immediato, in quo illud delitescit. Si tamen immediatæ partes ignotæ sint nobis, indulget Fonseca philosophus undiquaq; doctissimus ejusmodi saltum. Sed iterum dicam ego; ejusmodi Divisiones in ideâ non esse, sed fieri saltem juxta ὑπόληψιν & conceptum nostrum. Quicquid enim longius rem petit, quàm rei fert ratio, id peccat contra naturæ legem.*

Mantissa.

1. An Deus definiri queat? N. quippe ἀκατάληπτον habet essentiam, quæ simplicitate summa aciem humani ingenij obruit. 2. omni Definito aliquid est πρότερον φύσει. at ἄθεον hoc de Deo cogitari. 3. οὐδὲν ἄπειρον, ὅριστον.

2. An Divisio virtutis sit vitiosa ex eo, quod inter se omnes sint sororio vinculo concatenatæ? N.

3. An S. S. Trinitas dividatur propriè in 3. personas? N. quia Totum propriè dictum in S. S. Trinitate non datur: quomodo ergò ἡ τοῦ ὅλου διαίρεσις dari potis est?



DISPUTATIO LOGICA DECIMA
& ultima lib. I. Log. 66

DE OPPOSITIS.

Respondente BERNHARDO VVOERGERO, Lubec. Sax.

THESIS I.

DE Oppositis *acturi sumus, non iis, quæ axiomaticè, sed quæ Topicè opponuntur.*

2. Illa opponuntur secundum dispositionem in affirmando vel negando: Hæc verò neq; affirmant, neq; verò negant.

3. Pertinet ergò quædam oppositio ad primam mentis humanæ functionem: quædam verò ad secundam: de illa hic agemus: hanc faciemus missam.

4. Fundamentum & radix oppositionum est dissensio, Diversitas & differentia rerum.

5. Differentia ergò quo major erit, tantò fortior erit oppositio; & quò differentia laxior, tantò oppositio minor.

6. Differentia ergò generis faciet fortissimam oppositionem, quia minima hic offenditur consensio & identitas.

7. Et per consequens ens & non-ens contradictionem generabunt fortissimam, quandoquidem inter ens & non-ens nulla est consensio, nedum minima.

8. Differentia est incompossibilitas simul existendi in eodem secundum idem.

9. Quatuor ejus sunt species: & διχοτόμως tribuuntur.

10. Est enim vel positiva vel privativa.

11. Ideoq; & opposita sunt vel positiva vel privativa.

12. Positiva opposita sunt, quorū utrumq; est ens positivum.

13. Suntq; vel Contraria vel Relatè opposita.

14. Contraria sunt positiva opposita, quæ sub eodem genere maximè distant-

15. *Suntq; vel mediata vel Immediata. Mediata sunt quæ admittunt medium participationis extremorum.*

16. *Ideoq; alterum extremorum subjecto inesse non est præcisè necesse, uti, non necesse est aquam esse vel intensè frigidam vel fervidam: potest enim esse tepida, & mediocriter calida.*

17. *Immediata sunt, quorum alterum necessariò inest subjecto: ut virtus, vitium. Ideoq; non admittunt medium participationis, sed tamen medium negationis.*

18. *Relata sunt, quæ idipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur.*

19. *Suntq; verè opposita: Cum in eodem subjecto secundum eundem respectum non possint existere, pater enim quâ pater filius non est, sed alio respectu.*

20. *Relata hoc habent peculiare ut de se invicem prædicentur: rectè enim dixeris, pater est filij pater.*

21. *Privativa oppositio est inter ens & non ens, sive cujus alterum extremum est positivum alterum negativum.*

22. *Estq; vel Contradictio vel privatio.*

23. *Contradictio est oppositio inter ens & non ens, ideoq; est maxima maximèq; distans, quia excluditur omnis convenientia, quantò vero est minor convenientia, tantò major est pugna & oppositio, exemplum est: homo non homo.*

24. *Privativa oppositio, est inter ens & non-ens privativū.*

25. *Privatio vero est absentia habitus i. e. ejus rei, quæ per naturam adesse debebat.*

Utrum tantum quatuor sint Oppositorum Genera?

Philosophus in pluribus uno locis enumerat Contradictionem, Privationem, Contrarietatem, & relativam oppositionem. Rationes ab interpretibus adferuntur sanè non jejunæ. sed tamen à reductionis sufficientiâ petitæ. Quædem res se mutuò ponunt,

sed

sed iisdem terminis, inesse nequeunt, eodem respectu, unde Relativè opposita sunt nata. Mox aliæ res ita adversantur sibi, ut removeatur id totum, quod prius erat positum. Hic patria contradictionis. Tertiò, interdum non removetur totum quod erat positum, sed forma saltem prius expressa eijcitur. Hinc Privativa oppositio; in hac enim subjectum prius positum, nisi forte sit privatio malignans, superat etiam formâ ejectâ priori. Deniq; quædam res & genere & subjecto conveniunt, sed specifica formâ dissentiunt. In his datur Contrarietas. Hujus similem probationem vide apud clariss. Arnis. epit. Metaph. p.156. His oppositis opponunt se alij, multiplicantes genera oppositorum Repugnantibus & Disparatis. Rescribimus ipsis, & repugnantia & Disparata simul ad censum & sensum contrariorum revocari. Disparata quidem contraria sunt, quia est oppositio duarum specierum sub uno genere, quas ipse philosophus contrarias vocat in Metaphysicis. Repugnantia verò, quia Contrariorum antecedentia & consequentia seu Proprietates, item Disparatorum, quæ itidem contraria, proprietates definiuntur. Jacob. Mart. Exerc. Metaph. 14. theor. 18.

An Opposita sint simul?

Τὸ ἀντικείμενον ἅμα τῇ φύσει, ait Philosophus. Naturam enim quandam Relativorum habent opposita, ideóq; simul sint oportet, ubi relativa esse consueverunt. Adde, quod proprium est oppositorum, ἀντιστρέφειν. Ideòq; simul sunt tempore, simul etiam naturâ. Inferes: at Cæcitas non est simul cum visione. Respondemus: positiva opposita requirunt utrumq; extremum in actu: negativè oppositis sufficit potentiale εἶναι. Sic mors privativè opponitur vitæ. Quin & simul sunt τῇ γνώσει, τὰ γὰρ ἐναντία παράλληλα φαίνεται. Nescit enim imperare, obedire qui nescit. Audi iterum philosophum: τῶν ἀντικειμένων μὴ γνωριζόμενον τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου. Opposita ergò sunt simul naturâ, Tempore, Cognitione. Intererit tamen distinguere inter esse absolutum,

& esse comparatum, quod oppositis, ut & alijs sive Relatis sive quasi relatis est commune. In esse comparato semper opposita sunt ὁμόχρονα, sunt ἅμα φύσει καὶ διωρισμένῃ γνώσει.

Utrum opposita queant explicare rei naturam?

Negandum videtur problema, si accuratè loqui velimus. Explicare enim est rei naturam quæ rei inest, diductè & distinctè proponere. At opposita rei explicandæ non insunt. 2. quia nullum oppositum ingreditur definitionem rei. Definitio verò est explicatio rei in unam summam collecta. Si verò explicationem sumas pro illustratione, ambabus largiemur manibus, quod continet problema. Παράλληλα γὰρ ἐναντία, μάλιστα φαίνεται. Hinc illud in vulgus notum & natum est, quo Plautus primitus est usus: Tum demum homines nostra intelligimus bona, quando quæ in potestate habuimus, ea amisimus. *Ita rectè nemo scit imperare, nisi potuit prius obedire. Illustrationi ergò & facilitati cognitionis opposita maximoperè conducunt, quin & affectibus movendis.*

Quænam sit oppositionum maxima?

Respondemus; contradictionem eam esse, quia extrema ejus maximè omnium distant: Ens & Non-ens infinito distant intervallo. At ens & non ens facit contradictionem. 2 quia Contradictoria omne excludunt medium. excludunt medium participationis extremorum. ens enim quando ens est, eo ipso, quòd est, non potest non esse. excludunt etiam medium subjecti seu negationis extremorum. Hæc enim duo medij *genera hic curari possunt, quandoquidem medium positionis & loci, medium assecutionis, medium deniq; perfectionis huc nihil conferant.*

Utrum oppositum oppositi sit causa?

Quæstio est, non de causa cognitionis, sed de causa essentiæ & constitutionis. Distinguimus igitur inter opposita contradicto-

ria,

ria, privantia, contraria & inter opposita relativa: hæc sunt causa suorum oppositorum. Pater est causa Filij & filius est causa patris in esse non quidem absoluto, sed relativo. Illa suorum oppositorum non sunt causæ. Inquies: fiunt ex contrarijs contraria. Aristoteles 1. phys. c. 5. Resp. contraria vel purè considerari in abstracta quidditate: vel concretè. Dic ergò ex contrarijs concretis fieri contraria, non verò ex abstractis. 68

An contrarium contrario inesse possit?

Repeto distinctionem inter abstracta & concreta contraria. contraria abstracta sunt qualitates sine subjecto intellectæ. concreta contraria jam sunt συνδεδυασμένα subjectis. Nullum abstractum contrarium abstracto contrario inest, fervor numquam inest gelu. Concreta contraria propter subjecti libertatem contrarium recipere possunt: aqua frigida recipit calorem. Numquam tamen in gradu excellenti, sed tantum remisso contrarium patiens est contrarij Nec diu hospitatur eôdem; φθαρτικὰ γὰρ τῶν ἀλλήλων ἐναντία, inquit philosophus in Acroasi.

An unum uni contrarium?

Hoc axioma Aristotelis in vulgus admodum est notum: temperamenta verò ejus paulò ignotiora. Accipe: 1. Contraria perfecta seu extrema, quorum unum extrudit alterum è subjecto, sic affecta sunt: Imperfectum vero contrarium pluribus potest opponi lib. 2. Top. c. 7. item Goclenius. secundò unum genericum uni generico opponatur, uni virtuti unum opponitur vitium i. e. non-virtus. unum inquam uni multiplici: Tertiò adæquata contraria universam materiam oppositam possidentia uni opponuntur.

An contraria sint sub eodem genere?

Contraria sensu Aristotelico accipe in strictâ significatione; non pro quavis adversitate, qualis qualis ea demum est. Per Genus *intellige primò physicũ genus (utinã aliter loqueremur!) id est,*

id est, subjectum. Contraria enim ut omnia opposita debent opponi in eodem subjecto. Deinde per Genus *intellige Logicum Genus i. e. Genus propriè sic dictum. Rationem affirmatæ sententiæ habe tibi. Quæ genere dissident, aut nullam ineunt pugnam, aut pugnam ἀνὰ φάσεως. Si hanc ineunt, ἐναντιότης expirat: quandoquidem contradictionis pars altera duntaxat positiva est: Si nulla pugnâ præliantur, utiq; nec contrariâ. Relinquitur ergò sub eodem Genere contraria esse posita. Ideoq; si dicis homo non homo, contrarietas non erit, cum ens & non-ens (i. homo & non-homo) sub eodem genere non sint collocata. Adversaberis ex Aristotele dicente* Malum bono esse contrarium. *At Malum & bonum non sub eodem genere. cum Malum sit non-bonum, atq; adeò non-ens Resp. Philosophum in lib. categ. ubi locus iste legitur, per* bonum *&* malum *non intelligere abstractas naturas, sed habitus honestos & vitiosos, bonas & malas actiones. At actiones sive honestæ sive improbæ sunt sub eodem Genere, primò qualitatis deinde proximius sub habitu. Aliàs malum & bonum duo genera non sunt summa. Etenim bonum in illa est, categoria, in qua res est cujus est bonum: Ergò & malum: Cum oppositorum eadem sit ratio.*

An contrarij sit contrarium expellere è subjecto?

Contrario contrarium expellitur nisi ejiciendum contrarium insit naturâ Aristoteles d l. 1. ideoq; frigus calorem ex igne non exturbat, nec siccitas expellit humiditatem ex aqua. Hæ enim affectiones, naturales dico sine formæ destructione naturaliter abesse non possunt. Obstabis. Species disparatæ antea in primo probl. contrariæ appellatæ se non eijciunt mutuâ pugnâ. Ergò omnia contraria contrarium non pellunt Quid tum? Distinguas inter contraria prima propriè sic dicta, qualia qualitatum solarum sunt: & inter contraria orta quæ propter aliquam qualitatem contraria dicuntur, ut homo & bestia propter vim ratio-

ratiocinandi species contrariæ dici meritissimò possunt. Unde *Boethius: contrarietas in omnibus prædicamentis est quæsita in sola qualitate est reperta; Sc. strictè accepta contrarietas.*

An contrariorum contrariæ causæ?

Distinguimus cum Beda in axiom. p. 45. inter causam universalem, à qua contrarij effectus fluere possunt: idem sol albedinem in linteis pingit, & nigrorem terræ inducit: hanc spicam exalbat, illam denigrat idem solis calor. Deinde causæ per se agentes contrariæ contrariorum sunt effectuum. nam causas per accidens sæpè duo contrarij effectus consequuntur. Sic usus vini modò sanitatem juvat, modò eandem interficit.

An contrariorum radix sit habitus & privatio?

Sic dixit Philosophus 10. Metaphys. & veritas hic haut operta, sed aperta. Contraria enim mutuò se pellunt è subjecto, unde subjectum uno contrario, quod antea subjecto inerat ut habitus privatur & spoliatur, si alterum vincit. Et vice versâ. nisi enim extruderetur unum contrarium ab altero, certè contrarietas esset nulla.

An à privatione ad habitum numero eundem detur regressus?

Per causas naturales regressus non datur destructo primo actu. Si tamen actu secundo subjectum sit privatum, potest habitus se vindicare: ut in pristinum suum statum restituatur. Piè & rectè dixeris, regressum à privatione ad habitum numero eundem dari virtute divinâ, quæ plura potest, quàm nos possimus intelligere. Omnia membra nostra cine facta & in auroram & vesperam dissipata eadem numero congregabuntur, afflata spiritu Domini Jehovæ. Ad habitum specie eundem à privatione naturalis etiam regressus fieri potest, si discrimen iterum notabis. Quædam enim privatio est ἐν ὅλῳ & totalis, quædam partialis

tialis & ἀπλῆς. Ad hanc datur regressus: à somno ad vigilias, à callo oculis obducto datur haut raro regressus.

An privatio præsupponat habitum?

Distingue inter privationes antecedentes & privationes consequentes habitum. Consequentes habitum, præsupponunt habitum: at antecedentes non præsupponunt habitum, cum demum à privatione fieri debeat accessus ad habitum. Sicut fit in materia primâ, quæ etsi habeat absentiam (quæ est privatio) formæ, tamen est in proximâ potentia ad eam. Unde illam privationem Scaliger appellavit vacuitatem formæ introducendæ.

An cujus privatio est pejus ens, habitus sit melior?

Philosophi 2. Top. effatum est affirmatum. Ergò inferes anima vegetativa erit nobilior intellectivâ. Quandoquidem vegetativâ extincta, vita continuò expirat. Contrà verò mente motus non emoritur actutum, sed superat in vivis. Respondet Beda non esse regulam universaliter veram, sed modò in illis, quorum alterum ab altero non præsupponitur. Intellectiva autem anima præsupponit & ante se ex necessario requirit vegetantem animam. Ita Ægidius de Româ in Metap. ait propterea oculorũ sensum esse nobiliorem sensu tactus, quia ille præsupponat hunc ipsum. si n. quis videre oculisq; uti debet, opus est sit à tactu instructus; quia pereunte tactu perijt totum corpus. Hinc ergò dicimus semper illa esse meliora, quæ præsupponunt & præ se requirunt alia, sine quibus esse nequeant.


An pater sit causa filij, cum sint relativè opposita?

Meminimus quid dictum sit suprà. sed πειραστικῶς contrarium suscipiemus defendendum. Quia relativa sunt simul naturâ, Aristoteles. pater & filius sunt Relativa. E. At quæ natura sunt simul, duo requisita habent necessaria. 1. mutua est ab uno at alterum consequentia quantum ad eorum existentiam; alterum ut neutrum sit causa alterius: causa enim semper prior effectu est, quod τὸ simul tollit.

DISPUTATIO I. LIB. II. LOGICI.

DE PROPOSITIONIS FORMAMALIS CONSTITUTIONE.

Respondente JOHANNE BOLTHENIO *Rostochiensi.*



THESIS I.

QVod primum absolvimus Logicæ partem, Dei est solius, ipse faveat porrò.

2. In secunda parte de Propositione agitur.

3. Propositio est oratio indicativa, affirmans aut negans aliquid de aliquo.

4. Propositio spectatur vel formaliter, vel Materialiter.

5. Formalis propositio est in qua sola connexio terminorum secundum artem consideratur.

6. Estq; vel simplex sive Categorica, vel Composita.

7. Categorica seu Assertiva est quæ unum de uno vel affirmat vel negat simpliciter.

8. Hujus constitutio, deinde Divisio, deniq; affectiones considerandæ.

9. Propositio enim est Genus ab uno ad unum. Ideoq; famosiori analogato debetur generica tractatio.

10. In constitutione Categoricæ considerandæ tum partes, tum partium unio.

11. Partes sunt vel signantes, vel signatæ.

12. Signātes sunt vel Categorematicæ vel Syncategorematicæ.

13. Categorematica pars subjectum vel prædicatum repræsentat.

14. Estq; tum Nomen, quod est vox significativa ex placito absq; tempore, cujus nulla pars est significativa & separata.

15. Tum verbum, quod est vox significativa certi temporis, cujus nulla pars significat seorsim.

16. *Et verbum hoc sæpißimè loco subjecti ponitur, quod tamen eximius Logicorum quidam negat.*

17. *Signatæ partes sunt Subjectum & Prædicatum.*

18. *Subjectum est de quo enunciatur Prædicatum: Prædicatum est quod vel essentialiter vel accidentaliter de subjecto pronunciatur.*

19. *Sic fuit constitutio: Divisio insequitur. Propositionum alia est Finita, alia est Infinita.*

20. *Finita est quæ finitum, id est, certum subjectum, certumq; prædicatum signat.*

21. *Infinita est, quæ constat subjecto aut prædicato infinito id est incerto. nihil enim ponit certi, sed concedit omnia, quæ infinita sunt determinatione nostra, posse esse subjectum, præter id unum, cui* Non *particula est addita.*

22. *Infinita affirmans est cum nec copulæ in ternariâ, nec verbo substantivo EST in binaria propositione additur, vel verbo finito; sed vel nomini prædicato vel verbo infinito seu infinitivo: ut Adamus potuit non mori.*

23. *Utraq; est vel universalis, vel particularis, vel singularis.*

24. *Universalis est cujus subjectum est universale vel Definitè seu expreßè posito signo universali: vel indefinitè omisso signo.*

25. *Indefinitæ propositiones præcipuè sunt de ideâ, id est, infimâ specie, quatenus intelligitur non distributa in inferiora.*

26. *Particularis est, quando non universo subjecto sed parti ejus prædicatum convenit vel disconvenit.*

27. *Singularis est in qua subjectum est Individuum sive vagum sive signatum id sit. Hæc sufficiant, ad problemata ruimus.*

An Propositionis Genus sit oratio?

Scio multùs brachia defatigari scriptitando de hac quæstione, & eisdem ad rasim usq; vocem exercere, negando orationem

esse

esse Genus propositionis. Nos clamoribus non obtundent, qui usum vetustate seculorum comprobatum sequi malumus, quam novatoribus complacere. Ante omnia distinguimus orationem, ne errore vocis hallucinemur turpiter. λόγος est vel ἔσω seu ἐνδιάθετος id est internus & mentalis, diciturq; cogitatio; vel est ἔξω seu προφορικός id est prolatitius & ore formatus. Oratio ergò interna, barbarè mentalis est σύμβολον rerum: oratio externa & linguâ prolata est δήλωμα cogitationum. Jam nihil errabimus. Etenim in utroq; sensu oratio tibi accipienda pro definitione Propositionis. Interna oratio seu cogitatio de rebus duabus, quæ in omni sunt propositione, mente formari planè nequit, quin concipias etiam duas voces aptè aptandas rebus. Non cogitare habes hominem esse animal, nisi duas has voces intus simul concipias. Pergo: atqui ubi plures sunt voces seorsim significativæ, ibi est oratio. Atqui in propositione sunt plures unâ voces, quarum singulæ sunt significativæ. Ergò & oratio. De externâ oratione minus est dubium & altercatio. Si enim effamur sensa animi de rebus conceptis duabus, continuò utimur multitudine vocum, ex quibus oratio, id est, perfecta sententia combinatur. Sed tamen verò interna oratio vice Generis fungitur, non externa: sinè illa enim numquam propositio esse potest, sæpissimè autem sine hac: possum cogitare hominem esse animal, ut ut nullo utar verbo, quod tuas deveniat ad aures. Patrocinamur ergò affirmanti problematis parti, quandoquidem negans à rationibus rationem cogentibus inops & vacua.

Cur libro de Propositione factus titulus ἑρμηνείας?

Ἑρμῆς Mercurius est, qui Poëtis fingitur & pingitur interpres Deorum, id est, qui consilia & decreta Deorum ad homines cœlitus deferat, explicet, proponat. Ethnicus hoc credidit. inde ἑρμηνεύειν est interpretari: ἑρμήνεια interpretatio. Jam propositio & singillatim propositionis partes Nomen & Verbum

 dicuntur

dicuntur Interpretatio, *& expositio. Quâ, quæres de causâ.* Verbum *enim &* Nomen *adeoq; ex ijs conflata propositio* interpretantur, *explanant & notificant alijs animi nostri sensa atq; cogitata. Quomodo alius mentem nostram assequeretur, nisi cogitationes mediantibus* verbo & Nomine *interpretemur, id est, ore proferamus ut audiat, quod loquar, & intelligat quid velim. Præceptoris ergò philosophi ratio imponendi tituli ἑρμηνείας, non vilis, subtilis fuit.*

An Propositio, Enunciatio, quæstio, conclusio sint Synonyma?

Una eademq; res haut rarò multa sortitur nomina; sicut non rarius multæ res una significantur voce. Taliter contigit termino propositionis: Sunt enim nomina illa Synonyma, si animadvortas ad distinctionem à ratione *dumtaxat efflagitatam. Luculentum id fiet, tu attende.* Enunciatio *absolutè dicitur, sine ullo respectu ad Syllogismum, ita ut sensa mentis significet, & enunciet sine discursu & à noto ad ignotum promotione. Sic ergò, cum enuncias tuam mentem, sine formâ Syllogistica,* Conclusio *est* Enunciatio, Major propositio, *itemq;* minor *est* Enunciatio: *Exemplo res clarescit. (Homo est animal) est* enunciatio, *postea si addis formam Syllogisticam est* Conclusio. *item (Animal sentit) est* enunciatio. *Has tres enunciationes redige in formam Syllogisticam; nam in eâ sortientur alia atq; alia nomina. Quicquid sentit est animal. Homo sentit. Ergò homo est Animal. Jamdum priores duæ sententiæ dicuntur propositiones, antea enunciationes, hæc sententia Homo est animal, ante quoq; dicebatur* Enunciatio, *jam in forma syllogistica appellatur* Conclusio. *Pluscul*um. Enunciatio *formam Syllogisticam induta positaq; ante conclusionem, dicitur* Propositio, *quia ponitur ante conclusionem: non tantum ordine loci, sed etiam ordine defensionis & muniment*i. *Proponere enim sæpè protendere & objicere significat. Sicuti ergò miles clypeum*

objicit

objicit ad ictus hostium excipiendos, corpus muniendum, ita Logicus miles propositiones duas objicit adversario; quibus conclusionem muniat & defendat. Eodem sensu Præmissæ *dicuntur. Quid de* Quæstione *dicendum? Et hæc ἰσοδυναμοῦσα. De omni enim re, quæstio institui potest. Differunt* Conclusio & Quæstio, *ut probandum & probatum.* Quæstio *enim probari debet,* Conclusio *verò dicitur jam probata esse. Latius tamen, quod scias,* quæstionis *significatio se diffundit, quàm* Conclusionis. *De re enim simplici quæstiones institui queunt:* Conclusiones *è præmissis propositionibus elicitæ, nequaquam de rebus simplicibus formantur. Ni te piget & tædet hactenus audire nos siste dum paulisper. aliam namq; afferemus explanationem.* Propositio *dicitur animi sententia & sensum.* Enunciatio *est verbalis significatio seu prolatio istius sententiæ tuæ.* Quæstio *est dubitatio de prolatâ, & enunciatâ sententiâ.* Conclusio *est dubitationis istius ἀφαίρεσις & exemtio, per aliud, de quo dubitare nequibas. Hæc sunt, quæ te volebamus: jam pergemus. Quærimus:*

An omnis propositio affirmet vel neget?

Sic in Definitione propositionis dicitur. Est enim oratio, quæ aliquid de aliquo affirmat vel negat. Et certè non sine gravissima causa sic definitur. Affirmatio enim & Negatio rationem formæ in propositionibus possident. à formâ verò res definienda, vel ab eo quod formæ est analogum & conforme. Judicium igitur philosophi ut admiramur, ita presse sectamur. At verò affirmat ne omnis propositio aut negat? Omninò. Quælibet enim res, rei inest vel non, inest: Si inest, vel tu affirmas inesse, vel negas inesse. Si non inest res rei; tu vicissim vel affirmas eam non inesse, aut negas inesse Deinde, non datur medium inter verum & falsum: ergò nec inter affirmationem & negationem. Affirmatio hic ea non dicitur, quæ est probata, judicata, conclusa. sed quam simpliciter proferimus, sive sit vera, sive sit falsa. Ubi enim

negans Particula Non *abest, vel quod ei æquivalet. continuò propositio vocatur. Affirmans: sicut per præsentiam* τὸ Non, *aut similis vocis (ut nemo, nullus, nusquam &c.) propositio redditur negativa.*

An Prædicatum à Subjecto oporteat sit diversum?

Nugatorem agis, si cuculi coccysmum identidem iteras. Nihil enim ad ingenij salivam crudæ insipidæq; identicæ, sic vocantur, propositiones. Sicuti ingratus est Musicus, qui eâdem chorda, eumdem canit cantum, eodem variegatum digito. Hic tædio conficit aures: illæ nauseam inferunt inferuntq; non mediocrem, quibus veritatis fercula sunt delitijs. Meritò itaq; jure è ταμείῳ *logico tautologicas propositiones, tamquam ingeniorum venena eximimus. Quibus pascuntur exsaturata ingenia, propositiones* subjecto *&* prædicato diversas, *in Logicis cellulis asservamus. Do rationem, In omni propositione ex necessitate est* affirmatio *vel* negatio *At idem de se eodem nec affirmari, nec negari pote est. Affirmare enim est dicere inesse vel non inesse idem in seipso non est: minus adhuc est, idem non posse idē esse. Vel, si mavis, sic ratiocinare. Aut Subjectum inest Prædicato, aut hoc subjecto. Subjectum, inquam prædicato inest non ut accidens, sed ut particulare in universali ratione dependentiæ. Prædicatum si inest subjecto, inhæret ut subjecto accidens. Ex illo nascitur propositio Synonymica: Ex hoc Paronymica. Pergo. At particulare differt ab universaliori. At inhærens differt ab eo, cui inhæret, uti sustentans, & sustentatum illius enim esse est esse; hujus esse est inesse. Conclusio spontè fluit. Ergò omne Prædicatum à Subjecto differet. Ratio: quia singula prædicata differunt. Evici quod volui: Sed addendam huc est unum: Non omnes identicas esse tautologicas nugas, duplici genere. 1. Prædicati nomine notiore subjecti nomine,* ἀδολεσχία *evitatur. Col. Musar. est homo ab omni doctrinâ instructus; Sic si dicas: etiamsi*

idem

idem dicas, tamen, quia auditori latinæ voces fortassean sunt clariores, quam illud Hæbræum per virgulam Maccaph *colligatum vocabulum, existimaris dedisse prædicatum à subjecto diversum. Hoc primum est. 2. πλοκὴ identitatem cruditatem ematurat. πλοκὴ enim est figura dictionis, qua eadem dictio repetitur, sed ut natura ejus & qualitas significetur. ut: Deus est Deus, id est, justus est Deus, verax &c. Hic princeps est princeps, id est, Hic princeps virtutibus heroicis & principe dignis est armatus & ornatus In πλοκῇ ergò identitas est vocis; diversitas autem significationis. ἐμφατικώτερον certè differt ab eo, quod minus significat.* Ut *non malè fiat, si & propositio per Plocen repetita, non sit identica, cum diversitas significandi attendatur, non vocis in ædificatione propositionis. Vera enim hæc est omni modo negativa: Cancer non est cancer. Audis idem nomen bis repetis: identitas ergò hic est vocis. At diversitas significandi eminet luculenter. Subjectum enim notat cancrum piscem. Prædicati nomine cancer morbus involvitur. Hinc jam audacius audeo ratiocinari. Nempe:* diversitas significandi *in propositione omni est attendenda. At in priori identicâ propositione, quæ fit per notius nobis nomen, non est diversitas significandi, sed saltim vocis dissonantia. Ergò & illa est cruda, ideoq; inficit ingenij appetitum. Repræhensionem ut ne incuram multorũ Logicorum, alacribus pedibus lassus sum, ut sistam in viâ posteriorũ sententiæ, quam ad emporium crudarum propositionum vi rationis coëgi. Et fortassis etiam plus satis de hoc problemate ignosce. Sub finem recordor, quod principio dicere volebam. Ad* diversitatem *prædicati sufficere, sæpissimè* diversitatem rationis & modi. *Formaliter enim & ratione tantum differt* definitio à Definito, *ex quibus nihilominus sella Logicaq; propositio construi potest. Nec malè enunciabis* palmam *non esse* pugnum: *etsi enim re sint idem, modo tamen rei differunt. Hoc erat, quod sine damno prætermitti non potuit.*

An

An quoddam verbum sit nomen propositionis ?

Si aimus, anne existimas nos oppositum in opposito involutum ire ?. Sana mens est : Quoddam verbum est nomen : tu sano modo intellige. Sic Logici in hanc rem eunt. Aliud nomen est Grammatico ; aliud nomen Logico. Nomen Grammaticum est pars congruæ, id est, à solacismis liberæ orationis, quatenus suis terminationibus & casibus est inflectendum. Logico verò nomen consideratur formaliter, quatenus illud quod prius est in re & natura, primò etiam significat & repræsentat. Eadem etiam ratio ferè competit Verbo cum Grammatico, tum Logico : Grammatico enim verbũ per modos omnes variatum est verbum : Logico verò verbum est in modo indicativo. Jam ergò dicimus, aliquod verbum Grammaticum, esse Nomen Logicum. Verbi gratia : didicisse fideliter artes, emollit mores. Quodnam est nomen Logicum ? Didicisse *respondet Logicæ discipulus : Iterum si quæras ex Grammatico puero,* Didicisse *estne nomen ? Rectè respondebit negando. Hic enim considerat tantum materiam id est litteras, Syllabas, & vocem variabilem. Ille formalem rationem considerat, quæ est ad conceptum mentis. confido satisfactum esse quæstioni : disquiremus alia.*

COROLLARIA.

1. An jures suspendendi & fune elidendi ? Neg.

2. An cœlum moveatur ab intelligentijs, an verò propriâ naturæ forma ? Dubitamus : elige, quæ placet, partem.

 74

DE PROPOSITIONIS DIVISIONE, ET AFFECTIONE.

Respondente IOACHIMO GORBINGIO Rostochiensi.

THESIS I.

Hactenus divisio fuit ex materiali Syncategoremate, id est, particulis: vel etiam ex partibus materialibus signatis; ut singularis propositio, quæ non ex signo, sed signato oritur.

2. *Ex formali seu connexione subjecti cum prædicato, alia est affirmans, alia negans. Affirmans Prædicatum cum subjecto conjungit. Negans dividit.*

3. *Estq; vel pura vel affecta. Pura est in qua præter Subjectum & Prædicatum nulla alia inseritur particula.*

4. *Affecta est vel Modalis, vel Exponibilis.*

5. *Modalis est in qua auditur unum ex his vocabulis: Necesse, Impossibile, Possibile, Contingens.*

6. *Exponibilis est, quæ per particulam aliquam exponit quomodo & quousq; prædicatum subjecto conveniat.*

7. *Estq; vel Exclusiva, vel Exceptiva vel Restrictiva, id est Limitativa.*

8. *Exclusiva est, in qua est particula exclusiva, ut solum, tantum.*

9. *Exclusiva subjecti non excludit concomitantia, sed includit.*

10. *Exceptiva est in qua Syncategorema seu particula exceptiva ponitur.*

11. *Limitativa est, in qua est particula restringens.*

12. *Limitatio est determinatio ejus, juxta quod Prædicatum Subjecto convenit, vel non convenit.*

M Ex

13. Ex omnibus omninò terminis Logicis Limitationes desumi possunt: nos brevitatis ergò eas prætermimus.

14. Hucusq; etiam expedita est Divisio; sequuntur Affectiones.

15. Affectio est vel Consentanea, vel Dissentanea.

16. Consentanea aut sensum relinquit eandem, diciturq; Æquipollentia, *vel sensum mutat transpositis subjecto & prædicato.*

17. Æquipollentia est duarum vel plurium propositionum discrepantium verbis, convenientia sensus.

18. Quæ sensum propositionum mutat dicitur Conversio, *quæ est duarum propositionum ex transpositis Subjecto & Prædicato consensus reciprocus.*

19. Estq; vel Simplex, vel per Accidens, vel per Contrapositionem.

20. Simplex Conversio est Subjecti & Prædicati mutua transpositio manente Quantitate & Qualitate eadem.

21. Hæc conversio locum habet vel ratione formæ, vel materiæ in propositionibus.

22. Ratione formæ & Consecutionis est in Universali *negante, & particulari affirmanti.*

23. Ratione Materiæ est in universali quoq; affirmante necessariâ & reciprocâ.

24. Per accidens conversio est subjecti & Prædicati permutatio, manente qualitate eadem, mutatâ verò Quantitate.

25. Per contrapositionem Conversio est prædicati & subjecti transpositio, manente quantitate, mutatâ qualitate per remotionem Prædicati ad removendum Subjectum.

26. Consentaneam affectionem sequitur Dissentanea Oppositio, quæ est pugna propositionum in affirmando & negando.

27. Propositiones oppositæ habeant 1. τὸ αὐτό; 2. fiant ad αὐτό; 3. κατὰ τὸ αὐτό. 4. deniq; ἐν αὐτῷ χρόνῳ.

28. Unum ex his si defuerit in oppositione; proclama eam

non

non esse legitimè secundum has leges qualiter oppositionis factam.

29. *Estq; vel Contradictoria vel Contraria.*

30. *Contradictoria oppositio, quæ æterna est disjunctionis.*

31. *Invenitur hæc inter universalem ajentem & particularem negantem primò: secundò inter universalem negantem & ajentem particularem. Tertiò inter duas indefinitas. Quartò inter duas singulares, quarum semper una ait, altera negat.*

32. *Ut non sit plures Oppositionum species temerè quærere. Vid. Crellium clariß virum lib. 2. 153.*

33. *Contraria oppositio est, duarum propositionum universalium, quarum altera est affirmans, altera negans.*

34. *Restat composita propositio in qua duæ simplices continentur vel plures.*

35. *Estq; vel expressa vel implicita. Expressa est vel Copulativa, vel Conditionalis, vel Disjunctiva, vel Discretiva, vel Relativa.*

36. *Implicita est, quæ ejusmodi nota caret.*

Problema I.

An copula EST sit pars propositionum tertij adjecti?

Propositiones tertij adjecti *ecquæ sunt? Ne ignoto mari erremus, præcipuè eas describimus verbis tribus, esse propositiones, in quibus* tria *numerantur vocabula;* Subjectum (*ne tua vacillet ὁμώνυμα*) *dico,* copula *& deniq;* prædicatum. *exemplifico: Homo est animal. in qua* propositione tria *sunt vocabula. 1.* homo *2. EST 3. Animal. Intelligis Goclenium, ex quo verba penè eadem descripseram? Sed videtur hic neutiquam negligendus uberior sensus* Tertij adjecti. *Rectè sentire sentio me, ut Tertium adjectum exponam non præcisè seu unicè de* Subjecto, Copula *&* prædicato, *sed & de quavis alia particula, quæ ternario numero propositionem constituit, verbi causâ: Salvator*

75

pronunciat: antequam Abraham erat, ego sum. In hac enunciati parte, nempe Antequam Abraham erat, propositio est tertij adjecti. tria numerantur enim vocabula. Altera propositio: Ego sum *sc. Ego Christus, est propositio secundi adjecti: audiuntur enim tantum duæ voces* Ego *&* sum *: quamvis (ut hoc obiter inseram) malitiosi & blasphemi Christomastiges Arriani, malo dicere Narriani, protervè & vertiginosè ex secundo adjecto (Ego sum), cudunt tertium adjectum contra Biblici textus ipsiusq; Salvatoris mentem omnemq; intentionem; ut sensus juxta ipsos sit: Antequam ego sum, Abraham erat. O diabolos execrandos! ô libidinem impuram conviciandi Christi oris & ossis omnis veritatis! Sed quo rei indignitas me rapit? in transitu enim tangere modò volo isthanc. Redeo igitur unde eram digressus: & concludo,* tertij adjecti *nomen exoriri, ubi tria audiuntur vocabula. Brevior ero. Secundum adjectum est verbum ὑπαρκτικὸν, substantivum, quod significat rem non esse fictam, cujus audimus nomen, sed re esse verâ; ut: Callias est, id est Callias est reale ens, & non fictum. Tertium adjectum est copula seu vinculum* est *sive implicitè & occultè, sive explicitè & manifestè ponatur in propositione. Intelliguntur ergò Propositiones tertij adjecti. Tempus nunc est, ut ad problematis ζητούμενον properè properemus. Expectas responsionem meam qui nego totus τὸ EST esse partem propositionis tertij adjecti. Rationes tibi habe. 1. Nulla copula & vinculum fit pars vincti. Ergò nec copula EST fit pars vinctarum partium propositionis. Antecedens suâ luce lucet, per adductã enumerationem copularum. 2. Illæ sunt partes propositionis, in quas resolvi potest & solet. At in* Solum *prædicatũ & subjectum resolvitur omnis propositio. Ergò solum prædicatum & subjectum sunt partes propositionis. Per consequens vi particulæ exclusivæ: Ergò copula non est pars. 3. Partes propositionis sunt, quæ numquam abesse possunt. Copula abesse interdum potest. Probo assumtum. In mente formata propositio abest copula, & tamen est propositio: Ergò interdum*

copula

summâ hæc est summa Apostoli: Christus Jesus æqualis Deo patri humiliavit se non coactè sed sponte. Adderem huc plura exempla Theologica, nisi reprehensionē metuerem, qui falce mea messem alienam decutere videor. Ex jure unū libet asscribere. Ait JCtus: Non volens facit, qui id quod facit, non facit deliberatò. *Hoc infinitè enunciatum est cum certa affirmatione. Consulemus etiam Medicos Dd. Annon dicant: τροφὴ ȣ̓ τροφή. Alimentum non-alimentū, id est potius quidvis aliud, quàm alimentum. λεγομένως alimentum, alimentum non est ὄντως. Sed quid exemplis immoror? Non agam de nostrâ quæstione pluribus. Infinitum enim errorem errant, qui infinitarum propositionum negant usum.*

Quæstio præcepit quicquid, ne forte putetur
Nullius esse usus, utilitate probo.

An signum semper Subjecto sit addendum?

Ambiguum me reddit gravis cum auctor, tum exempla & probantia & improbantia nostrum problema. Hoc certum est atq; præcipuum momentum in propositione ut consideretur, quomodo prædicatum Subjecto conveniat: *non verò contrà. Ergò Prædicatum mensurat Subjectum. Ergò signum Subjecto addendum, ut prædicato mensuretur totum Subjectum, omniaq; ei quæ insunt. Nunc clarissimum Dn. Keckermannum audi ex Systemate Logico. Si Prædicato apponitur* Signum, *vel latius Subjecto, vel ei æquale est prædicatum. Si nimis latum, falsa & insulsa est prædicatio; significabitur enim;* unam speciem totum esse Genus; *exemplum en tibi: omnis homo est omne animal. Quasi omne animal esset secundum essentiam totum omnis & solus homo. Si* Prædicatum Subjecto est æquale, *continuò sequitur, totum illud prædicatum Subjecto generico attributum rectè apponi cuivis parti sub subjecto contenta. Exempla: Omnis homo est omne risibile. Subsume; Socrates est homo: Ergò Socrates est omne risibile. Et per consequens Plato non est risibilis. Profectò ratio est erudita nostri Keckermani. At inquis: Deus vult omnes homines salvos fieri. Ergò signum*

non-

nonnunquam conjungitur prædicato. *Regero hoc. Antecedentem propositionem non esse universalem* formaliter, *sed universalem* materialiter. *Ubi enim Subjecti loco existit Individuum, illic propositio* Singularis *significatur. Ergò & illa. Ex unâ hac judica plures: & meam dextrè imbibe mentem. 1. Signum plerumq; addi prædicatis, quæ sunt* Effecta *dependentia à causâ vel unâ, vel multarum principe.* Omnes actiones & operationes producit forma. *Exempli loco id proposui. 2. Maximâ ex parte in propositionibus ejusmodi præter propositionem complicata quoq; est probatio aut explicatio ejus. Ignotum nihil loquar, vide mihi. Priori in proposito exemplo: Deus vult omnes homines salvos fieri: in exemplo hoc inquam* Propositio probatioq; propositionis *occultè conjunguntur. Propositio: Omnes homines debent salvi fieri. Probatio à causâ efficiente: Quia Deus id vult. Aliud: Deus conservat res omnes. Hic primò est Propositio: Omnes res conservantur. Explicatio à causa efficiente nempe Deo conjunctim additur. Ignosce, si erraverim, mihi: apud ullum enim, quod sciam, nunquam illa legi. Iterum hic me petet aliquis objectione. Quædam propositiones sunt, quæ carent Subjecto. Ergô Signum non Subjecto sed Prædicato adjacet. Veluti:* Omnia sunt hominum tenui pendentia filo. *Ubi enim hic Subjectum? Monstrabo. Subjectum quandoq; est expressum, quandoq;* inclusum *signo propter usum linguarum.* Omnia *ergò expone per expressas duas voces: Omnes res humanæ tenui pendent filo. Sed cur in meridiano aprico lucem quærimus? In obscuriora Zetemata inquiremus.*

Quædam particularis propositio estne Universalis?

Ne offenditor, quæso te. non enim illaqueabimur nodo contradictionis, si aimus. Si negamus, nodo laxo gemino irretimur. Tàm diversè tecum sentio: Et cùm Scholasticis doctrinæ reconditioris helluonibus nodum enodabo. Ad ἔκθεσιν, quos honestè nominabam, confugiunt. ἔκθεσις, id est, Expositio est reductio particularū

cularis formalis, ad universalem formalem propter propositionem universalem materialem expositá seu declarata specie, quæ proponebatur per Genus & particulare signum. Exemplum te docet. Quoddam animal intelligit. Expone quid velis per τὸ Quoddam animal tibi. Nihil aliud hic est quoddam animal, quàm Homo. Ergò jam ex particulari fac universalem: Omnis Homo intelligit. Ex his observa, quod punctum est. Nempe particularis enunciata habere duo: 1. Signum particulare, per quod genus determinatum idem cum specie est. Secundò ipsum Genus, sed limitatum signo, ne amplius intelligatur esse Genus. Assimiliter Universalis habet, quæ abjicit signum particulare, & deinde Genus prius exponit per certam speciem, nomenq; speciei. Summatim verò loquar. Particulares tales sunt particulares respectu ad Genus habito: universales habendæ respectu distributionis in ea, quæ subjecto continentur. Si placent tibi; nobis tu placebis. At verò:

Estne modalium propositionum usus?

Ad modales propositiones deventum est, quæ olim excarnificare discentium, sæpè etiam docentium vel optima ingenia. Græci enim termini Latinis permiscebantur, ob augendam nescio difficultatem, an verò dicam ad consequendum verum usum. Omnis confusio odiosa, & difficultas tædiosa. Vulgi verbium ergò vel ab admiratione, vel ab execratione evulgatum: Doctrinam de modalibus non gustavit bos & asinus. Loquimur de modalibus antiquitus sic dictis: Necessario, contingenti, Possibili, impossibili Exponibiles enim, ut appellant, quæ à multis similiter nominantur modales secundariæ, usum habent inæstimabilem. Qui benè limitat, benè docet. Tantundem reliquis quoq; competit exponibilibus. Ne chartam verbis compleam, age respondeo, aut nullum. aut perquam exiguum habent usum modales Latinæ. Etenim si palæstritam Logicum agis, continuò modales redigis in puros. Et certum est illis terminis auditoris animum variè lancinari; quid enim juvarent? Inquiat aliquis:

Cur

Cur ergò è Logica non ejiciuntur ὑπάρχουσαι? Resp. Propter Logicam Aristotelis, quæ Græca, & in qua modales *tractantur. 2. Ne in veterum scripta incidentes, videamur hodiè nati. Linquimus ergò hæc, ut agamus de melioribus. Quid ago? penè interturbaram ordinem thesium. Corrigam, ut hoc problema dictum sit indictum, & quæro.*

An transpositis Subjecto & Prædicato æquipollere queant propositiones?

Ego non dixerim, Æquipollentia enim est convenientia & identitas sensus, ita ut verba discrepent. At Prædicato in Subjectum mutato, non manet convenientia sensus per omnia ejusdem.

An exacta Oppositio *secundum* idem, *Ad* idem, secundum *eundem* respectum, & *eodem* tempore?

Equus non nisi quatuor pedibus ambulat: Nec justa oppositio carere ullo è quatuor quæsitis potest. Probo me. Oppositæ propositiones ne in re minimâ conveniunt. At nonne erit convenientia, si unum ex membris illis quatuor defuerit? Intelligit me quivis. oppono unam uni. Homo est mortalis: homo non est mortalis. Nisi utramq; secundum *idem capias; Nulla erit oppositio.*

An Subcontrariæ sunt oppositæ?


Subcontrariæ sunt duæ particulares: quarum hæc ait, illa negat. De his quæritur an verè opponantur. Negamus Nos. Ratio est nervosa. Propositiones opponuntur secundum idem. *At in his non fit oppositio secundum idem. Considera ipse. Quidam homo est doctus: Opposita: Quidam homo non est doctus. utraq; verissima est, quia de alijs atq; alijs subjectis utraq; intelligitur.*

An propositio conditionalis possit esse vera, si & antecedens & consequens sit falsum?

Frontes multis caperari videas novellulis ad hanc quæstionem. Affirmans tamen pars vera. Namq; sit tibi exemplum. Si asinus volat, asinus habet pennas. Quæris verane sit propositio? Certè. Conditio *enim ponit consequentis veritatem per modum sequelæ. Si Antecedens verum est, prædicatum per consequentiam & identitatis cohærentiam similiter verificatur. Formaliter ergò vera est. Consideremus datæ propositionis quoq; partes seorsim sumtas: quarum utraq; est falsissima, nempe primò asinum habere pennas: secundò eum volare. Materialiter ergò ita considerantur conditionalis partes, quando divisim sumuntur. Vis tu plura? Ego quiesco, tu mecum, si placet, quiesce.*

Portus enim procellâ vexatis debetur navibus: nobis quies.






DISPUTATIO LOGICA III. ET ULTIMA II. LIBRI

DE PROPOSITIONE MATERIALI.

Respondente IOACHIMO LOSECHIO Rostochiensi,

THESIS I.



Præcedentibus disputationibus actum est, de Propositione in formali seu genere considerata: Consequens est ut de ea agamus in specie.

2. *Ita Propositio est vel Paronymica vel Synonymica.*

3. *Synonymica est in qua Genus de Specie, aut de individuo, vel Species de Individuo, vel duo alia prædicantur sine tropo in quid seu Casu recto.*

4. *Paronymica propositio alia prædicabilia de Subjecto enunciat.*

5. *Utraq; vel Necessaria vel contingens est.*

6. *Necessaria est, cujus Subjectum & Prædicatum aliter se habere nequeunt.*

7. *Estq; vel κατὰ παντὸς vel καθ' αὑτὸ vel καθ' ὅλου πρῶτον. De singulis vide in prælectionibus.*

8. *Contingens propositio in qua prædicatum cum Subjecto ita disponitur, ut aliter se habere possint: ideoq; non sunt æternæ veritatis, ut Socratem sedere verum est, donec surgat aliquò prodeambulaturus.*

9. *Inpropriam propositionem velut spuriam ex Logi-*

tes territorio arcemus. Calviniani eam deosculantur, uti Paris Helenam, ut in Theologia impuriores & majores audiant Sectatores. Hos mihi ab ullo commendari nolo.

§ 10. Nugas eorum, quas venditant, in fumos agerem; sed vereor, ut postmodum temporis me pœniteat: itaq; calamum ad calcem secundi libri subsistere jubemus; donec plus ocij suppetat.

11. Secundum hæc silentium esto.

I. Problema.

Numquid rectè in Logica tradatur Propositio certæ materiæ applicata?

Ambigere posses, qui probè noris; primò Logicam esse generalem & dominari omnibus. 2. In Logicis tradi instrumenta, alibi, puta in disciplinis realibus usurpanda. Ergò hallucinari dixeris Logicum, qui propositiones in certâ Materiâ spectatas tractatu suo exigit. Ego aliter sentio pro Veritate. Logica est Logica, id est, generalis est disciplina ὀργανικὴ, utut sese ad certas materias dimittat. Hoc probandum probo. Certæ & determinatæ materiæ hîc non dicuntur, quæ sunt individuæ & specificæ; sed quæ certum modum conditionemq; entis includunt. Quid enim Necessitas, quid contingentia? ab his Propositio dicitur vel Necessaria vel contingens. Unde dico, has materias certas adhuc esse Universales: dicuntur autem certæ ob conditionem entis certam. Prætereo rationem à Pari. Syllogismus alius est formalis, alius Materialis. Ergò & Propositio. Rationem addo. quia Syllogismorum elementa sunt propositiones. Qualis ergò est Syllogismus tales quoq; erunt propositiones: & quales hæ talis & iste. Nugas, quas blatit hîc quidam adversarius, in colloquio disputationis ibimus refutaturi.

An Pro-

An propositio Theologica; Christus est Deus vel similis hujus sit Synonymica?

Idem quærit idemq; affirmat Kekermannus, contra quem ego problema hoc nego. Audi rationem. Quidquid Synonymicè enunciatur, id aut Genus, aut Species est subjecti. At Deus non est Genus, non est Species: Quomodo ergò concludes? Nec omittã illud. Synonymica propositio non constat ex partis *argumento. At Deus respectu Christi adinstar partis se habet. Ex Deo enim & Homine factus est Christus, cujus nomen est personale, non autem naturæ nomen. Ad quam ergò classem, propositionem illam reducemus? Dicã id quod nostri, id est, ὀρθόδοξοι Theologi dicunt & docent. Est illa plane* inusitata *& μονότροπ@, quæ censuram Logicam non admittit: nec ad Logicarum propositionum classem reduci aut potest aut debet. Hæc ego, tu meliora doce.*

Estne Paronymica hæc enunciatio: Christus est æternus?

Date cum veniâ licentiam, ô viri Theologi, qui vobis res vestras submaniculari videor. Cum Keckermanno ex Keckermanno mihi res iterum controversa: Ille τὸ ζητούμενον asserit: Ego nego pertinacißimè. Quid ita? jam rem intelligas faxim. Deus æternitas est, & æternitas Deus est. Quid est in Deo non Deus? Ex homine & Deo est Christus. Quicquid Deus est, id quoq; homo jam factus est. Deus est æternitas: Et ita quoq; Christus est æternitas. Ride & rode hæc, mea nihil refert. At inquies: ita loquitur cum S. Scriptura tota antiquitas, nostraq; ecclesia hodierna. Verum esse hoc non inficior At novi tecum: ita loqui ecclesiam οὐ κατὰ πρᾶγμα ἀλλὰ καθ' ἡμῶν κατάληψιν. Similiter ecclesiâ loquitur de Deo: Deus est æternus. *At paronymicè &* accidentaliter, *Deus dicitur æternus? Negant quotquot ego vidi & audivi, omnes*

Theologi. Adde ex his jam alteram negationis nostræ rationem In Paronymicis nunquam de subjecto Prædicatum enunciatur Casu recto in Quid? *Sed semper adjectivè. Aut si in Casu recto, fit id Tropo Rhetorico, ut eleganter Buscherus explicat hæc omnia.*

Sintne leges Ramisticæ, leges disciplinarum?

Quæro etiam an Veritas sit mendacium? tu respondes: minime. Ego te imitor; Leges Ramisticæ, non sunt disciplinarum leges, quibus ita stringuntur, ut vinctas & victas se profiteantur. Scripsêre multi multa hac de re viri undiquaq; doctissimi: qui mihi silentium, ad minimum brevitatem suadent. Ante te rogatum volo quam progrediar an scias, qualia sint Ramæi animalia? *Si te nescire scirem, id exponerem luculenter. Ipse nosti quæ sint, omnia fraudulenter corrumpunt principia: nulla confirmant, quæ canitie ipsa antiquitatis sancta. Quæ bona sunt, tollunt, quæ fallacia, philosophiæ intrudunt. Quæ optima sunt, ad suos trahunt sensus insensatos. at malo suo fato, peiore tamen damno bonorum litterarum. An dubites dubito. Dabo probatum dubitantibus. Lex κατὰ παντὸς lex καθ' αὑτὸ, lex καθ' ὅλου πρῶτον moderatur, inquiũt, omnia præcepta omnium disciplinarum. Et nulla datur methodus, cui non assamulentur tres illæ leges. Hæc illorum nos videbimus, sed breviter. Rami lex est: Totum præceptum competat omnibus ejus artis, cujus est præceptum. Subsumimus: Regula κατὰ παντὸς est Grammatica :* In O masculina sunt. *Ergò dicet tyro Grammaticus,* Grando & Virgo *quoq; sunt generis Masculini. Prisciane vapulas? Frischlini strigilem & virgam metue Ramææ puer. Quid porrò? τὸ καθ' ὅλου πρῶτον ad censuram exigemus quoque. Repeto primũ exemplum. Desinẽtia in O masculina sunt. Ergò quæ masculina sunt, desinunt in O.*

Nec

Nec hic volũt castigationes admittere aut temperaturas regularum Ramæi. Cognoscis legum Ramæarum vim & cogentem necessitatem, quæ aut nulla aut perexigua doctis omnibus hactenus est habita. Placet ne ut progrediamur? profectò tædet & pudet in vanis & evanidis ineptiarum subtilitatibus Ramisticarum diutius immorari, tractemus seria & usibus apta magis.

An Propositionis Necessariæ tractatio demum in Apodictice sit instituenda?

Gravissimi autores, id, quod quæritur usu nimium comprobarunt. Quotus enim quisq; est, qui agat de Necessariis propositionibus inter propositionum aliarum chorum & elenchum? Pleriq; autem, ne dicam omnes cogunt illas, ut diximus ad Apodicticen: in qua Syllogismus ἐκ τῶν ἀναγκαίων Demonstrativus ædificatur. Vulgo nos astipulari non concedit ratio evidenter cogens. Sicuti de probabilibus *propositionibus non agitur eo demum loci, ubi agitur de Syllogismo Probabili & Topico: sic etiam de* Necessarijs *non debet agi tunc, quando de Syllogismo Necessario agitur. Non etiam nihil id valebit, quod ordo vehementer sic turbatur per commixtam susq; deq; & Propositionum & Syllogismi loco in eodem confusionem.*

An τὸ καθόλου πρῶτον competat etiam Substantialibus propositionibus?

Neutiquã. Substantia enim si substantiæ attribuitur semper id fit per generaliorem naturã attributæ Substantiæ: verbi gratia Callias est Homo. Ubi a. latius patet unum altero, ἀντιστρεφὴ mutua esse nequit, præpedita hujus generalitate, brevitate verò illius. Deinde reciprocatio est ratione adæquatæ inhærentiæ in subjecto. At Substantiarum nulla est inhærentia, qualis accidentium quidem esse astruitur. Progredere jam & dic τὸ καθόλου πρῶτον consistere præcipuè, immò tantum 1. in adæquata latitudine. 2. in adæquatâ latitudine inhærentiæ. Prodi-

catum

catum enim non debet latius patere in ullo alio Subjecto, quàm in solo reciprocabili, sic loquor, Subjecto. Hinc est, Substantias non posse Demonstrari; quia non inhæret, *quia numquam adæquatè substantiale prædicatum subjecto convenit: quæ duo in ἀποδείξει imprimis attendenda.*

An contingentes Propositiones fiant necessariæ, cum jam in præsenti rerum statu sunt determinatæ ad alteram partem contradictionis?

Hoc cum Goclenio negamus, qui nostræ sententiæ hic est amantissimus. Ad naturam enim semper rerum est respiciendum. Necessaria *autem dicuntur, quæ habent* æternam immutabilitatem veritatis. *Contingentia autem etsi jam ita sint, ut sunt, possunt tamen sine contradictione non ita esse, sed fieri aliter. Rem exemplo intelliges facilius. Cræsus dives erat; & videbatur necessariò esse dives, quando erat dives:* contingenter *tamen dives erat, quia postmodùm cœpit aliter esse, nempe miser, rogo præsentissimam minante mortem. Et vicissim mutatâ fortunâ redditus est dives Ita ut non* necessariò *fuerit aut dives, aut miser, quando talis erat. Hoc adduxi exemplum unum, omnia ut ex eo censeas dextrè.*

An omnis Impropria propositio sit Tropica & pertinens ad Rhetores?

De hac quæstione diligentissimè pertractavit vir non vulgariter doctus H. *Buscherus in tractatu* de Impropria attributione *Logica: in quo solide Goclenium contundit & confundit, quod monstrosam defenderet sententiam Nos breviter expediri possumus propter singulares ejus viri labores hac in materia præstitos. Affirmamus autem Quæstionem. Rationes sunt: 1. Quando terminus pro termino sumitur, nascitur Tropus. Consentiunt hic omnium Rhetorum scholæ. At in propo-*

propositionibus improprijs sumitur argumentum seu terminus pro termino. Ergò erit hic Tropus. Per consequens; pertinet improprietas propositionum ad Suadam Rhetoricam. 2. Illud est Logicum, quod rei inesse intelligitur, sicuti dicitur. At impropriæ propositionis prædicatum numquam intelligitur de Subjecto, sicuti dicitur & enunciatur. E. g. Herodes est Vulpes. Ergò nec est Logica propositio 3. Illa est propositio Logica, quæ unum Subjectum unumq; Prædicatum significat. At in propositionibus impropriis duo prædicata repræsentantur' Hæc de improprijs ratione verborum. Quid de Impropriis ratione Dispositionis dicendum? Tales planè non dantur, quæ sint Logicæ. si affers exemplum: ferrum urit, negando hanc esse propriam quia ignis, non verò ferrum urat. Apage verò aliud est esse improprium; aliud etiam per & propter aliud sic vel aliter agere. In Mysteriis ratio alia est, in quibus Propositiones appellitantur INUSITATÆ, quia ad usitatas Logicas regulas examinari, imò ne reduci quidem possunt. Ideoq; nec Logicæ illæ sunt dicendæ propositiones. Uno verbo rem complectar totam: Nulla propositio, quæ Logica est, dicitur Impropria. Sed cessamus, ut secundo quoq; libro colophonem addamus, non tamen in Deum ingrati obliviscentes gratiarum devotarum, quas ipsi debemus, & merito hic quoq; solvimus.

COROL-

COROLLARIA.

Cur acerba & acida dentes stupefaciant?

Acerba & acida pro frigidis habentur apud omnes eruditos, argumento satis illustri, quod stypticam & virtutem contractivam habeant. Dentes autem nullâ membranâ vestiuntur, nedum tenuissimâ; itaq; nervi dentium teneriores facilè contrahi possunt, qui deinde molestiam exhibent ex motu & attritu dentis ad dentem. Unde σπάσμα *illud feliciter ejicitur & expellitur per lac mediocriter calefactum. quamvis & mel, saccarum, itemq; butyrum propter emolliendi vim singularem stupori dentium soleant mederi. vincula enim laxantur & capillamenta contorduplicata emolliuntur.*

Cur homo maximè Musicæ cantu delectetur?

Numerare ita homini propriũ est, ut tres anguli triangulo artificioso. Unde familiæ avium si aucupis captu irretiantur, unâ ave duntaxat relictâ liberâ, hæc nõ potest animadvertere, se solam superesse reliquis deceptis Oritur enim numerandi facultas ex animæ rationalis officinâ; cujus solus homo est particeps. Atqui Musicam positam in numeris esse, nemo ibit inficias, qui novit eam mensurari per proportionalia intervalla. Propriis autem nostris maximè gaudemus.

Utrum Ars testudinaria (die Lauten Kunst) Systematicis præceptis adornari possit?

Sic existimamus. Certum enim est præcepta ordinari posse de objecto aliquo certo & finito. Objectum autem artis testudinariæ, certum & finitum est in peritia tangendi certas chordas certis digitis, inq; applicatione quam vocant universâ.

FINIS.

